

36
21 A
2

PROCOPII RHETORIS ET HYSTORIOGRAPHI DE IVSTINIANI IMP. AEDIFICIIS LIbri sex lectu dignisſimi, nunc recens latinitate donati per Franciſcum Craneueldium iureconſultum clariſsimum.

CVM ANNOTATIONIBVS longè doctiſsimis Theodorici Adamæi Suallembergi.







PARISIIS
Ex officina Chriſtiani Wecheli, ſub ſcuto Baſilienſi, in vico Iacobæo, Anno M. D. XXXVII.



B

ORNATISSIMO IVXTA ATQVE HVMANISSIMO VIRO D. NICOLAO Perrenotto, Cęsareæ Maiestatis à consiliis status Archigrammatæo, Domino obseruandissimo, Franciscus Craneueldius Salutem precatur ac felicitatem.



HIsce diebus, vir ornatissime, quibus me febris quartana grauiter afflixit, quum medici vetuissent propter hybernum anni tempus, ac frigora, vltrà quàm solet, longè grauissima, prodire domo, incidi fortè in libellos quosdam græcos Procopii Cæsariensis illustris Historici. Cuius quum reliqua ferè volumina sint à variis interpretibus, videlicet Christophoro Persona Romano, ac Raphaële Volaterano latinitate donata: hi tñ de Iustiniani ædificiis libelli, nescio quo fato relicti videbátur, nec legi poterát, nisi græcè scientibus. Quorum tamen lectio videbatur & ad Iustiniani principis pietatem magnificentiámque cognoscendam, & ad locorum multorum exactiorem notitiam, veterísque historiæ recordationem, res multas commodissimásque paucis esse complexa, quæ iurisprudentiæ doctrinam profitentibus in primis esse notæ debuisset, vt intelligerent mortales quantæ pietatis, quantęq; prudentiæ fuerit author ille iuris vniuersi, sic vt nunc est,

 recon-

reconcinnati. Nam alioqui vix quiſquam poſsit ex reliquorum hiſtoricorum ſcriptis quantumuis prolixis, quintam eorũ partem venari, quæ hic author breuibus libellis eſt ſcitiſsimè complexus. Vtinam principes Chriſtiani omneis his atq; ſimilibus exemplis veterum principum ad ſimile ſtudium accendantur, ac ædificatores appellari malint, quàm bellatores. Quanquàm incidunt tempora, vt bella vitari non poſsint, quæ tamen ita ſuſcipienda ſunt, vt non ſine graui cauſa ſuſcepta fuiſſe videantur. Iuſtinianus Imperator per Beliſarium fortiſsimum belli ducem ingentia bella feliciter cõfecit, duobus regibus Vitige Gotthorum, ac Gelimere Vandalorum captis, ac Byzantium perductis. Idẽ cum Perſarum regibus, poſt varios caſus fœdera percuſsit. Sed hæ res pientiſsimo principi non fuerunt impedimento, quin erga Deum Optimum Maximum diuóſque, & eorum templa atque aras ſic fuerit affectus, vt pro felicibus illis rerum ſuarum ſucceſsibus gratiſsimus ſimul & videri & eſſe vellet. Nam immenſas pecuniarum ſummas profundere illum neceſſe fuit in his ædificiis conſummandis. Deinde quantum impenderit vrbibus caſtelliſque conſtituendis ac reficiendis, tot locis ac regionibus, vix quiſquam poſsit animo concipere. At ne diutiùs te detineam, quem ſciam Reipublicæ, Cęſareiſque negociis ſic diſtrictum, vt vix liceat per ocium reſpira-

re,

re, ad ipsius authoris interpretationē descendimus, non qualem vellemus ipsi, quibus si cum Procopio paria facere voluerimus, Ciceroniana opus fuisset eloquentia: sed hoc nostro periculo peritioribus viam ostensuri, vt qui pollent facundia linguarumq́ cognitione, quæ in nobis sanè perquàm est exigua, ad vertendos passim veterum authorum libros accingantur. Ne habeant Græci quod se scire gloriētur, ac Romanæ ditioni subiectos ignorare. Tibi verò, qualis qualis est, hæc fœtura nostra dedicabitur, vt eam ab improborum hominum latratu morsibúsque tutam, ac quod dici solet, sartam tectam prestare digneris, qui Iustiniani gloriam non minus quàm virtutem ames. Vale, & Craneueldium inter tuos numera. Mechliniæ, xviii Kalendas Februarias, Anno salutis M. D. XXXIIII.

INDEX IN SEX LIBROS PROCOPII DE AEDIFICIIS IUSTINIani Cæsaris.

Diuus

E

Reliquiæ

Tiberis

FINIS.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER primus. Interprete Francisco Craneueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



ON quòd vllum virtutis specimen ædere voluerim, aut orationis copiæ, viribúsque confiderem, aut locorum multorum cognitione gloriarer: ad hanc historiam describendam me contuli. quandoquidem nihil habeo, quod ad hanc me fiduciam deducat. Sed sæpe mihi incidit cogitatio, quot, quantorúmque bonorum ciuitatibus historia soleat esse causa: quę transmittit ad posteros rerum præteritarū memoriam, temporique repugnat, quod occultare nititur, & obscurare res prioribus seculis gestas. Qua verò de causa hæc prædixerim, confestim patefaciam. Hoc nostro tēpore Iustinianus Imperator cùm Rempub. susc episset inconditam atque perturbatam, illam quidem lōgè maiorē reddidit ac illustriorem: quēadmodū exactiùs ac minutiùs libro superiore exposuimus. Nam vrbes innumeras cōdidit, quæ anteà non fuerunt: & quum lapsantem anteà atque errabundam inuenisset de rebus diuinis existimationem, multásque in pártes dissectam, obstru



ctis ac resectis omnibus ad errores viis, perfecit, vt fidei firmitas in vnico solidóque consisteret fundamento. Optimum quidem Cyrum Persarum regẽ fuisse ferunt, de quo auditu sanè multa cognouimus. An verò eiusmodi fuerit Cyrus ille, qualis à Xenophonte Atheniensi instituitur, scire non possum. Nam fortassis alicubi scriptoris dexteritas orationis viribus exornata, rebus ipsis potuit esse ornamento. Argumentum autem clarissimum humanitatis ac clementiæ Imperatoriç nobis præbẽt, qui mortiferas insidias eidem clanculum parauerunt, qui non modò viuũt in præsens, suas res possidentes, quamuis in scelere manifesto deprehensi: verùm etiam Romanis adhuc sunt in bello duces, nec consulari fungi dignitate desinunt.

DE TEMPLO SANCTAE SOPHIAE.



Ilisſimi quondam homines, ac plebeiæ fecis turba incendere Christianorum templũ auſi ſunt, quod Byzantii Sophiæ nuncupant, opportuniſsimè deo cognomentum hoc tribuentes. Permiſit illis deus, vt ſcelus illud perpetrarẽt, quum præuidiſſet, quàm magnificè hoc ipſum eſſet reſtituendum. Totum igitur templum in carbones redactum, tunc iacebat: Iuſtinianus aũt tale multo pòſt tempore torno pfecit, vt ſi quis priùs illud audiuiſſet, demonſtrata aliqua eorum, quæ nunc viſuntur, imagine, optaturus fuerit illud funditùs interire, quo in præſentem formam commutatum conſpiceret. Nam artifices Imperator omnes ex omnibus terræ regionibus acceſſiit: Anthemium Trallianum, in arte quam mechanicam appellant, excellentiſsimum non ſuæ tãtùm, ſed etiam ſuperioris memoriæ hominum. qui miro ingenio fabris opera concinnare, futurorúmque imagines nouerat præſcribere: Et Iſidorum Mileſium architectum. Hoc igitur templum erexit ſpectaculum videntibus quidem ſupra modum eximium & admirabile: audientibus autem prorſus admirabile. Sublatum eſt enim velut in cœli altitu-

dinem, & quaſi à reliquis vrbis ædificiis ſemotum. Imminet reliquæ vrbi, exornátq; eam, quod pars eius ſit: ſed ſua ſe effert pulchritudine, quod cùm ſit vrbis portio, atque in eadem emineat, in tantam tamen exurgat ſublimitatem, vt ex eo vrbs vniuerſa veluti ex ſpecula quadam conſpiciatur. Longitudo verò & latitudo vſque adeò in eo ſunt cómodè concinn atæ, vt & longiſsimum & latiſsimum non abſurdè dici poſsit: pulchritudine verò, inexplicabili. Nam ipſa mole magnificum eſt, & proportione ac menſuræ harmonia nih il nimium habens, aut diminutum. Vſitata enim opera, ſua ſuperat magnificentia, & quæ immoderata ſunt, ſua planè vincit modeſtia. Lumine verò & ſolis ſplendore mirum in modum abundat. Dicas non deforis illuſtrari ſole locum, ſed ſplendorem in ipſo naſci. Tanta luminis abúdantia in hoc delubrum diffunditur, & templi quidem facies ad orientem ſolem eſt obuerſa, vt deo myſticè ſacrificent: atque hoc pacto eſt ædificata. Structura quędam pro parte dimidia turbinata (quod eius artis periti ἡμικύλινδρον vocát) in altitudinem præruptam eſt erecta. At operis huius pars ſúma in ſphæræ quartam partem deſinit, ac deſupèr alterum quiddam lunæ in modum formatum his qui animum aduertunt, eleuatum videtur: decore quidem admirabile, ſed quod videatur prorſus eſſe terribile, propter lubricam ac fallacem compoſitionem

onem. Videtur enim non in firmo ſtabiliq́ue funda mento collocatum:ſed cum periculo eorũ qui eo in loco ſint, in tantam ſublimitatem fuiſſe perductum. Atqui egregiè fundatum eſt, & in ſolido fundamẽto collocatum. Huic autem ſtructuræ vtrinque columnæ in pauimento ſunt: faſtigia verò ex lapidibus mirandæ magnitudinis prudenter delectis cõpoſita, ſibiq́ꝫ mutuò reſpõdentia, in altitudinem ingentem perueniunt. Coniicias equidem, ſi videas eas columnas, ſcopulos eſſe præruptos. In his autem arcus quatuor adhærent quatuor lateribus. Quorum arcuum duo quidem ad aërem nouum recipiendum conſtituti ſunt, orientem videlicet atque occidentem ſolem verſus. Reliqua verò ſtructuram quandam atque columnas paulò inferiùs habent. At deſuper ſtructura quædam turbinis in morem eſt eleuata: vnde primùm ſemper arridet dies exoriens. Igitur quod in hac ſtructura ſublimius eſt, luminis admirandi habere ſatietatem conſentaneum eſt. Hoc autem arbitror nec titubante lingua, nec hæſitante poſſe explicari. Videtur enim hoc opus propter excellentiam ſtructuræ non in terra conſiſtere, ſed aurea quadam cathena è cœlò dimiſſum. Non enim poſſunt narrare ſpectatores, quid potiſsimum inter cætera admirentur, ſed animo atque ſuperciliis intenti, nequeunt tamen artis excellentiam intelligere. Sed illinc mox diſce-

dunt perculſi ob ipſam viſus imbecillitatem. Nam auro puro óblitum eſt faſtigium vniuerſum, pulchritudini magnificentiam quandam admiſcens. Vincit tamen lapidum ſplendor, qui aduerſus aurum coruſcare videtur. Porticus autem ſunt vtrinque duæ, hisq; culmen ipſum tholus eſt, & aurum ornamento. Ex his autem porticibus, altera quidem viros ſupplicantes, ac vota faciētes ſortita eſt: Mulieribus hoc ipſũ faciētibus, altera dedicata eſt. Altera verò præ altera nihil habet, nec inter ſeſe differunt. Quis autem poſſet enarrare, qualis ſit illa fœminarum domus, in parte ſuperiori, ac plurimas eius porticus atque aulas vndique columnis circundatas, quibus templum ambitur? Quis verò columnarum ac lapidum enumeret decorem, quibus ædes iſta eſt exornata? In pratum profectò aliquis videatur incidiſſe, floribus vndique vernans. Atque interim admiretur iure optimo horum quidem colorem purpureum: illorum verò viriditatem, in quibus puniceum quiddam effloreſcit, & quorum albedo ſeu candore effulgerat: itidem quos variegat contrariis maximè coloribus, velut pictor quidam, ipſa natura. Deinde donaria huius templi precioſiſsima, quæ ex argento lapidibúſque precioſis facta ſunt: quæ ab Imperatore huic ſunt dedicata, in vniuerſum explicare, idq; exacta ratione prorſus eſt impoſsibile. Vna verò ſola re hoc ipſum coniicere velim

lim eos qui hoc ſunt lecturi . Nam templi huius pars maior ſacra & pura,ſolisq; ſacerdotibus patẽs, valet librarum argenti quadraginta milia . arcuum verò ſeu abſidum(quas λώρους appellant architecti) vna quæpiam , quæ ad orientem ſolem nondum eſt perfecta , magnitudine ſua degrauabat ſcapos ſeu talos , qui non ferentes eam molem , aliqua ex parte ſubitò ſciſsi , breui diſſoluendi videbantur. Anthemius verò & Iſidorus perculſi ob id , quod occiderat,rem ad Imperatorem retulerunt, nullam in ſua arte ſpem reliquam habẽtes.Protinùs autem Imperator diuinitùs impulſus, iuſsit ipſos hunc arcum ſeu abſidem ad finem vſque circumuoluere. Hęc enim,inquit,in ſemetipſa cõſurgens,inferioribus ſcapis ſeu talis non indigebit. Et abſis quidem ad ſecuritatem tota eſt ſuſpenſa, comprobans experimento cogitationis veritatem. Et hoc quidem de hac abſide factum eſt : quod verò ad alias abſides attinet , quæ meridiem ac boream ventum ſpectant,tale quiddam cõtigit euenire. Nam λῶροι qui vocantur , in ipſius templi ſtructura,ingenti mole ſuſpenſi erant,ſed hiſce degrauata laborabant,quæ ſubtùs erant omnia:& columnæ quæ illic erant,lapillos quoſdam exiguos veluti ramenta quædam, ciaculabantur . Ac rurſus triſtes his caſibus facti architecti,Imperatori rem annunciarunt. Rurſus autem Imperator hanc artem aduerſus eũ caſum repperit:

perit: Nam ſummas partes eorum quæ mole laborabant, quæq; curuaturas tãgerent, diruere eas cõfeſtim iuſsit, ac diu poſteà ex ĩteruallo reponere, donec ſtructuræ humor in ipſarũ culmine ſiccaretur. Et hi quidem hoc modo fecerunt, & ædificium poſteà quoque tutò perſeuerauit.

DE DOMO AVGVSTA.

IN Auguſta domo (quam Auguſtæum vocant) columna eſt conſtituta, ingentis magnitudinis: non equidem vnius formæ, ſed magnis lapidibus vndique concinnata. Aes verò probatiſsimum in tabulis ac coronis diffuſum, vndique circundat lapides, firmitate quidem aſtringens, ornatu verò contegens. Aes verò huiuſmodi colore quidem eſt auro puro mitius: precio verò non multum abeſt ab argẽti æqualitate: in ipſo columnæ faſtigio æreus cõſiſtit equus ingens, orientem verſus, ſpectaculum relatu digniſſimum: Similis eſt gradienti, ac manifeſtè vltrà tendent ĩ pedibus prioribus, ſiniſtrum habens eleuatũ, quaſi terram calcaturus ſit, ante ſe iacentem: alter verò in lapide defixus eſt, veluti ingreſsionẽ ſuſceptu rus. Poſteriores verò ſic coniungit, vt ſi quando contigerit, ne ſtet immobilis, paratus ſit ad progrediendum. Huic equo ærea Imperatoris ſtatua inſidet, co

loſſo

losso similis. Ornata est autem more Achillis hæc statua. Talē enim habitū esse ferunt, quo circundatⷰ. Arbylas enim(hoc est genus quoddā solearū)pedibus induit,& tali sunt carentes tibialibus. Deinde heroico more thoracem habet, & galea caput eius tegit. Aspicit autem ad solē exorientem, in Persas, vt arbitror, profecturus. Et fert q̃dē sinistra manu vrbem, qua re plastes significauit terram ipsi vniuersam subiectam esse, simul & mare. Neque gladium habet, neque lanceam, nec reliquorum armorum quicquam: sed crux illi in vertice cōsistit, per quam solam, & regnum, & belli robur comparatum est. Dexteram autem protendens versus orientem, digitósque discriminans, pręcipit Barbaris, qui ea parte incolunt, vt quietè sedeant domi, nec vltrà porrò progrediantur. Hæc quidem igitur eo loco sic se habent. Erat xenodochium quoddam, hominibus attributum, qui facultatibus lapsi essent, ac ęgrotarēt. Quod vir quidam religiosus priscis temporibus ædificauit, nomine Sampson, qui non in militia perseuerauit, sed ecclesiæ initiatus moritur. Reædificauit autem Iulianus eum locùm, pulchritudine quidem apparatus insigniorem, ac multitudine domū cularum longè præstantiorem, reditúque annuę pecuniæ ipsum donauit ingentis, vt eo pacto plurium hominum miserabilium ægritudini subueniret. At nondum hoc dei honore satiatus Imperator, duo

b præte-

præterea hoſpitalia ſeu xenodochia è regione pri-
oris conſtituit ,in domibus quæ Iſidori & Arcadii
vocabantur,opitulante ad hoc etiam regina Theo
dora. Alia quidem templa omnia quęcunque Chri
ſto hic Imperator conſecrauit,tam multa numero,
ac tanta ſunt magnitudine , vt ad exactam ratioń
de his loqui prorſus impoſsibile ſit . Iam verò per-
gendum nobis eſt ad eius diuam virginem genitri-
cem.Multas equidem eccleſias Iuſtinianus deiparæ
ædificauit, vbique Romano ſub imperio tam pro-
fectò magnificas ac grandes,& non dicenda pecu-
niarum mole paratas: vt ſi quis earum vnam dun-
taxat videat , credat hoc ſolum opus fuiſſe ab illo
abſolutum, ac circa illud toto imperii ſui tempore
fuiſſe verſatum.Igitur vnum deiparæ templum æ-
dificauit,ante ambitum in regione vrbis, quę Blan
chernes dicitur.Eſt autem templum hoc maritimū
ſacratiſsimum quidem,& magnoperè venerādum.
Miretur autem quiſpiam hoc templum ingreſſus,
ingentem quidem molem , citra vllum periculum
conſtitutam cernens : ipſam verò magnificentiam
ab omni inſolentia atque ineptitudine alienam. A-
liud verò templum eiuſdem, ædificauit in regione
quæ dicitur πηγῆ ſeu fons:ibi locus eſt ſyluoſus vtrī
que conſitus cupreſsis,& pratum in terris planis,flo
ribus ſcatens , hortúſque progignens fructus pul-
cherrimos :fons abſque ſtrepitu , ex quo ſcaturit a-
qua

qua limpidissima simul atq; potabilis. Omnia profectò quæ locum sacrum deceant. Hæc quæ dixi habet regio, quæ templo est circunfusa: ipsum verò templum neque dignis verbis facilè est complecti, neque cogitatione describere, neque sermone suauiter explicare. Hoc verò duntaxat dicere sufficiet, quòd plurimas ædes sacras pulchritudine simul ac magnitudine vincat. Hæc autem facta sunt circa templa, quæ extra vrbis muros visuntur. Hoc quidem incipiente apud littus maris: illo verò prope aureas, vt vocant, portas cōstituto, quæ circa finem propugnaculi consistunt: vt vtraque inexpugnabilium custodiarum loco sint ciuitati. Etiam in Heræo, quod hoc tempore ædis sacræ appellatione censetur, ipse deiparæ templum constituit, quod facilè verbis explicari non posit. In regione autem vrbis quæ δεύτερον, id est, secunda appellatur, diuæ Annæ magnificum atque admirandum constituit delubrum. quam deiparæ matrem esse aiunt, Christi verò auiam. Deus enim quum vellet hominem assumere, triplex recepit genus, ac illud supputat ex materna stirpe, itidem vt cæteri solent homines. Igitur non longè supra hoc templum, circa vrbis angiportum nouissimum Zoæ martyri venerabilis est ædes constituta. Archangeli autem Michaëlis templum quum inuenisset Byzantii exiguum, & mirum in modum obscurum, quod minimè deceret

talem archangelum,ac ſenatori cuipiam genere pa
tricio obuenerat,hoc in eum qui nunc videtur, mo
dum formámque reduxit. At in Chriſti apoſto-
los confidentiam fidémque hoc pacto declarauit.
Primùm quidem Petro & Paulo templum ædifica
uit iuxta aulam regiam, quæ Hormiſde quondam
nomine cognominabatur. Quo in loco domũ ha-
buit ipſe,priuſquàm imperaret. Deinde etiam tem-
plum è regione,huic obuerſum,illuſtribus diuis Ser
gio Bacchóque dedicauit. Horum autem duorum
templorum alterum ab altero, neque pulchritudi-
ne,neque magnitudine,neque alia quauis re ſupera
tur. æque enim ambo ſplendore lapidum ſolis ful-
gorem vincunt:æquè auri abundantia omni ex par
te ſatiantur,ornantúrque donariis. Vna quidẽ re dũ
taxat inter ſeſe differunt. Nam longitudo vni qui-
dem in directum eſt elaborata,alterius verò colum
næ in ſpeciem hemicicli vt plurimùm conſiſtunt.
Equidem vtriuſque templi tam admirandus eſt a-
ſpectus,vt & vniuerſæ ciuitati, neque minùs regiæ
domui ornamento ea eſſe conſtet. Fuit autem pri-
ſcis temporibus Byzantii omnibus apoſtolis tem-
plum,temporis longitudine iam diruptum, ac ob-
noxium caſui: quod dirutum,maiori dignitate re-
ſtituit. Vbi qui lapidibus cędendis operam naua-
bant,pauimentũ effodiẽtes,thecas inuenerunt ligne
as treis,impoſitis olim literis declarãtes, quod An-
dreę

dreæ ſimul & Lucæ & Thimothëi apoſtolorum eſſent corpora. Quę quidem lubentiſsimè Imperator ipſe & Chriſtiani viderunt vniuerſi, eáque obuoluentes rurſus terra occuluerunt, neque locum ignobilem aut vicinis carentem reliquerũt: ſed corporibus apoſtolorum ſublatis, religioſus locus eſt declaratus. Illud autem facilè eſt cognitu, ipſos apoſtolos veluti gratos rependere, quicquid ex hominibus ad ipſum Cæſaris honorem pertinet. Nam rege religionem excolente, non deſeruntur à diuino numine humana negocia: ſed numen admiſcetur, ac amicè ſimul verſari cũ hominibus gaudet. Fortaſsis autem quiſpiam Acacii templum ſilentio prætereat, quod quidem dirutum, à fundamentis reſtituit, admirabile prorſus, & mirum quanto ſplendore fulguret, vt multi opinentur niuibus totum tẽplum perfuſum eſſe. Parùm abeſt, quin templum illud martyris prætériiſſem, quod diuo Platoni dedicatum, quódque verè ſacrum eſt, ac magnopere venerandum. Aliud equidem diuo Mocio martyri ędificatum eſt templum: cui ſacella omnia magnitudine cedunt. Prætereà etiam Thyrſi martyris ædem, & ſancti Theodori, ante vrbem ſitam, in regione quæ dicitur Reſsion: & Teclæ martyris ſacellum, quod iuxta vrbis littus eſt: & alterum diuæ Theodotæ in ſuburbio, quod Hebdomon, id eſt, ſeptimum appellatur. Hæc enim omnia Imperator

 iſte

iſte diuo Iuſtino regnante, à fundamentis ædificauit, difficilia explicatu: at quæ pro rerum dignitate viſu ac cogitatione expendi ſatis non poſſunt. Sermonem ad ſe rapit diui Agathonici templum, ac vim adfert iam voce deficienti, nec verba quæ rebus congruant habenti. Quare nobis hactenùs dicere ſatis erit. At conſiderare atque expenderep ulchritudinem, & in vniuerſam magnificentiam eorum hoc aliis relinquemus, quibus ſermo floridus, & non elaboratus, feliciter affluit. De reliquis autem confeſtim diſſeram, cùm illud prædixero quo pacto Byzantium exornetur à mari. Nam præter reliquam vrbis felicitatem, ipſum mare pulchrè collocatum eſt, iuxta vrbem ipſam potiſsimum ſinum efficiens, effunditur in magnum pelagus, atque huic vrbi frontem mirum in modum conſpicuam facit: ac tranquillam portuum protectionem nauigantibus exhibet. Nam duo maria iuxta ipſam vrbem, Aegeum videlicet & pontus Euxinus conueniunt, ad vrbis partem orientem ſimúlque colliſa vndarum commixtione, vrbem circulari fere ambitu ſpectabilem reddunt. Hic igitur ſinus ſic ſe habet. Imperator autem Iuſtinianus ædificiis iuxta ipſum ſinum conſtitutis, pulchriorem atque illuſtriorem fecit. Nam diui Laurentii templum in ſiniſtra parte eiuſdem ſinus, quod anteà fuerat ignobile, & obſcurũ, in eũ modũ quo nunc viſitur, exornauit.

Ac

Ac diuæ dei genitricis templũ quod illi è regione ſitum eſt in loco qui Blachernes dicitur, tale perfecit, quale mihi paulò anteà deſcriptum eſt. Prætereà diuis, Priſco & Nicolao templum ædificauit nouo opere, in quo Byzantii loco, vehementer adamato, lubentiſsimè verſantur, quòd videlicet plurimùm venerentur, ac ſtupeant diuos illos publicos eſſe factos. Ad terminum autem ſinus in loco arduo & vehementer ſublimi, templum ab antiquo diuis Coſmæ & Damiano conſtitutum erat, quo loco ipſum Imperatorem aliquando grauiter ægrotantem, quum iam moriturus videretur, à medicis derelictus, ac in numerum penè mortuorum relatus, in viſione apparentes diui ſeruauerunt, quibus gratitudinem ac candorem animi rependit, mutata priori ſtructura, quæ ignobilis erat, & ornatus expers, nec digna quę talibus diuis dedicaretur: ac pulchritudine, magnitudine, & luminis ſplendore templum illuſtrauit: At in altera ſinus parte templum, vbi nullum priùs fuiſſet, dedicauitq; Anthimo martyri, potiſsimùm iuxta ipſius ſinus partem littoralem. Et margines quidem templi, mitigatus iam maris fluxus alluẽs, meritò gratiam habet. Nõ enim cum tumultu vndas procellaſque propellẽs: in illius ſaxa refringitur, neque ædito ingenti ſtrepitu ſonóque terribili, qualem ſolent maria quæ apud littus diſſecta ſpumarum ſpeciem in pauimentum

ciacu-

eiaculantur :sed aduenit quidem leuis ac blandus taciturnúsq; fluxus,terrã contingens.Intùs aũt quadratum hoc templum,in sublime est eleuatum,lapidum decore,atque auro desuper effuso adornatum. Tantum autem duntaxat interest inter longitudidem ac latitudinem,quantum occupat spacium locus ille purus , in quo sacra atquę arcana mysteria perfici phas est : qui locus ad latus solis exorientis conuersus est.Hæc igitur ea parte sic se habent.Loco autem superiore iuxta ipsum sinus initium,Irenes martyris templum est fundatum,quod tam magnificè prorsus est fabricatum, vt non posśim verbis asśequi pro dignitate.Ibi reconditę sunt reliquię iam olim virorum sanctorum quatuor : qui cùm Romani essent milites,in duodecima legione descripti fuerant,quæ in vrbe Armeniæ Melitene quondam fuerat constituta.Igitur quum lapicidæ illic foderent , arculam inuenerunt , scriptis quibusdam significantem,quòd horum reliquias virorum contineret:Quas nunc in apertum ꝓtulit,oblitus interim de industria deus . Nam Iustinianus tum fortè grauiter ægrotabat , quia rheuma in genua prolapsum,graui cruciatu virũ conficiebat. Cuius rei ipse potisśimùm sibi causa fuerat. Nam diebus omnibus qui paschalia festa præcedunt,quæ ieiunia nũcupantur , dura quadam victus ratione vsus est, quæ non modo in rege absurda esset, verum etiam

homine

homine quouis, in Republica quoquo modo verſanti. Duobus enim diebus perſeuerauit abſque vllo cibo: idq́ꝫ quum è lecto ſummo mane ſurgeret, vigilarétque pro Repub. ſempérque & opere & ſermone negocia publica pertractaret matutinus & meridianus, nec interim noctu ceſſaret. Nam quum cubitum iuiſſet profũda iam nócte, ſurrexiſſet non multò pòſt, veluti ſtragulis oneratus, & ſiquando cibum ſumeret, à vino & pane ceteriſq́ꝫ eſculentis abſtinebat. Herbas autem duntaxat eſitabat, eáſque ſylueſtres, longo tempore ſale atque aceto maceratas: potúſque fuit illi, duntaxat aqua. Nec harum tamen rerum ſatietas illum cepit vnquam: ſed quum conuiuiũ appararet, hiſce guſtatis eduliis quæ ei cõuenirẽt, deinde abſtinuit, quum non dediſſet naturę, quod ſatis eſſet. Hinc igitur inualeſcens morbus medicorum auxiliũ ſuperabat. Intereà verò de reliquiis illis quum audiſſet, relicta humana arte, fiduciam ad eas vertit, atque in ſumma neceſsitate, veris opinionibus adiuuabatur. Nam ſacerdotes arculam genibus Imperatoris impoſuerunt, ac confeſtim morbus euanuit, vi pulſus ab his corporibus, quæ deo ſeruierunt. Tum quidem non ambiguum Deus Optimus Maximus ſignum rerum futurarum oſtendit. Oleum enim repentè effluens ex ſacratis illis reliquiis, ſcaturiénſque ſuper arculam, pedes ac veſtes regias quæ purpura totæ conſtabant, perfudit. ide-

óque veſtis ſic oleo perfuſa ſeruatur. Inter opes regias veluti teſtimonio futura de his rebus, quæ illic cõtigerũt, ſic equidem ſubſcriptum eſt, Iuſtiniano Imperatori (hic in exemplari græco eſt lacuna, quam tribus aut quatuor verbis diuinando expleuimus) Huius autem templi finis eſt ipſe ſinus. Littora verò in admirandam pulchritudinem hoc modo elaborauit. Templa duo Archangelo Michaëli dedicata, è regione huic inde conſtituta apud portum erant: Alterum in regione, dicta Anaplo, ad ſiniſtrã nauiganti verſus põtum Euxinum: alterum verò ex aduerſo priori. Veteres προόχθους appellarunt eam littoris partem, ea de cauſa, vt arbitror, quòd longè ſit protenſa reliquo littori, ea parte ſito. Hęc igitur templa diuturnitate temporis collapſa, Imperator quidẽ ſolo tenus diruit, vt nihil ex priore deformitate ſupereſſet, miróque modo ædificauit, quibus illud diui Ioannis Baptiſtę templum, quod illi Imperator iſte paulò antè in Hebdomo, id eſt, ſeptimo ſuburbio dedicauit, ſimillimum erat, niſi quòd maritimum non eſſet. At non aduerſo littore iam olĩ regium palatiũ erat, quod hoc pacto deo dedicauit. Turba erat Byzantii muliercularum in domibus lenoniis, turpi queſtui ſeruientium, haud quidem ſponte, ſed vi quadam adactarum. Nam inopiæ magnitudine quum à lenonibus alerentur, neceſſarium eis erat quotidianæ turpitudini inſeruire: cúm

que

que viris ignotis & caſu oblatis confeſtim inquinari. Erat enim illic lenonum iam olim ſodalitium non exiguum, qui ex officina turpis laſciuiæ queſtũ captabant, ac in foro publico alienam vendebant venuſtatem, pudicitia in ſeruitutem redacta. Imperator autem Iuſtinianus ac Regina Theodora, mutuam inter ſeſe religionem excitantes, ſceleratam illam Rempublicam lenoniam ſuſtulerunt, abolito lenonum nomine: ac mulieres, quæ per inopiam ad hanc calamitatem peruenerãt, eiuſmodi ſeruili impuritate liberarunt, victum illis conſtituentes, ac cum pudicitia coniunctã libertatem. Hæc igitur ea parte ſic ſunt ordinata. In hoc aũt littore, quod eſt à dextris, verſus Euxinum pontum nauiganti, vbi olim fuit aula regia, monaſterium conſtituit, magnificentiſsimum futurum habitaculum ſeu gymnaſium mulieribus, quas vitæ prioris pœniteret. Ideóque μετάνοιαν, hoc eſt, pœnitentiam ſeu animi conuerſionem, hunc fœminarum conuentum congruenter ipſi rei cognominauerunt. Multóque pecuniarum reditu rex & regina monaſteriũ hoc donarunt. multáq; pręcipuæ pulchritudinis ſimul ac precii quæ mulieribus ſolatio eſſent, exædificarunt, vt nulla neceſsitate circũuentę, ad modeſtię pudoriſq; ſtudia indefeſſè eniterentur. Hæc igitur ita ſe habẽt. At in Euxinum pontum illinc pergenti, alta quædam rupes iuxta littus ipſius portus iacet, in qua cõ

ſtitutum eſt templum diui martyris Panteleemonis: initio quidem abſque cemento factum, & vetuſtate laborans, quod illic dirutum Imperator magnificentiſsimè reædificauit, quemadmodùm eo loco templum viſitur. Qua re ſimul & martyris honorem conſeruauit, & portui decus addidit. Enimuerò ante hoc templũ in loco qui dicitur ἀργυρόνιον, mendicorum iam olim fuit habitaculum, quos morbus immedicabilis corrupiſſet: quod cùm temporis diuturnitate ad extremam perueniſſet reſarciendi neceſsitatem, propenſiſsimo quidem animo renouauit, vt eſſet hoc morborum genere laborantibus diuerſorium. At iuxta aulam, cui Mocharion nomen eſt, prope locum qui etiamnum templum vocatur, alterum Archangelo templum ſacratiſsimum conſtruxit. Ac Thriphoni martyri ędẽ dedicauit, non dicenda pulchritudine in vico vrbis magnis laboribus multóque tempore exactiſsimè abſolutam. Ad hæc etiam Minæ & Minæo martyribus templum in Hebdomo. A ſiniſtris intranti portas, quas vocant aureas, diuæ Iæ templum inueniens vetuſtate laborare ingenti precio renouauit. Quæ igitur circa ſacra templa fecerit Iuſtinianus, eiuſmodi fuerunt. Quæ verò in vniuerſo Romano imperio elaborarit ſingula enarrare, graue eſſet admodùm ac moleſtum, nec id ſermonis inopia pateretur. Quanquàm, quid dixi per vniuerſum Romanorum imperium

rium, quum cætera ædificia in hoc loco facta, diffi cillimum sit sermone complecti? Verùm vt summatim dicam, quæ maximè relatu digna sunt in reliqua vrbe ac domo Augusta, quæ elegantiùs reformauit, omnia mihi exactiùs sunt perscripta in libris quos de bellis huius temporis scripsi. Illud tantùm in præsentia addendum est, quòd regii palatii portæ anteriores atque ea quæ vocantur ærea, atque extra aulam regiam, balneum Zeuxippus, hoc est, locus vbi equorum iunctorum cursus exercetur, magnæque porticus, atque ea quę foris sunt ex ordine omnia vsque ad forum (quod Constantini habet cognomentum) huius Imperatoris opera sunt. At pręter ista domum Hormisdæ cognomine, quæ proxima est aulæ regali, commutauit: atque in præstantiorem redegit formam, vt regiis ædificiis congrueret, eámque palatio coniunxit. Est aũt forum quoddam ante ædes regias, columnis omni ex parte circundatum: Augustæum hoc forum Byzantii vocant. Ad huius orientalẽ plagam curia constituta est, Iustiniani principis opus, in quam ineunte anno coiens senatus Romanus, annuum festum celebrat. Ab hoc igitur foro non admodùm longè regia habitatio est. Vulgò autem dicitur, leonem ex vnguibus nosci. Huius igitur aulæ vires ex vestibulo, qui ista lecturi sunt intelligent. Tale autem vestibulum est, quod ęreum vocant. Recti muri ad cœlum sub-

lati in quadrato quatuor ſunt conſtituti. Iacta eſt autem circa angulum cuiuſque ex lapide accuratè polito turris, quæ cum muro aſſurgit ex ipſo ſolo, quæ tamen loci decorem non lædit, ſed quiddam ipſi ſuperaddit excellentis concinnitatis. Suſpenſi ſunt autem ipſarum turrium octoni arcus ſuſtinentes id qđ in medio eſt, faſtigiũ orbiculari forma in ſublime eleuatum. Picturis autem iucundius redditur, faſtigium vniuerſum non quidem cera liquefacta atque iſtic infuſa & indurata: ſed aptata exiguis calculis et coloribus omnegenus oportunis: qui quidem & res alias & hominũ effigies imitantur. Qđ autem ea pictura cõtineat, explicabo: bellum eſt & pugna, & capiũtur q̃ plurimæ vrbes, hîc in Italia, illic in Aphrica. Et vincit quidem Imperator Iuſtinianus per Beliſarium, belli ſub ipſo ducem. Adit autem Beliſarius regem, exercitum habẽs vniuerſum, præ gaudio alacrem, ac tribuit illi exuuias, & ſpolia, regéſque & regna, cæteráque omnia quæ ſunt apud mortales excellentia. In medio verò conſiſtunt Imperator ac Regina Theodora, ambo lætis ſimiles, ac victoriæ feſtum diem agentibus, ob Vandalorum ac Gotorum reges captiuos, eò deductos. Circunſtat autem eos ſenatus Romanus, itidem feſtum celebrans. Hoc enim calculi ſignificant, in ipſorum vultibus relucentes. Gloriantur igitur, ac rident, Imperatori deferentes diuinos penè honores. Hęc quidem

quidem profectò sic sese habent . At ex Propon
tide nauiganti versus partem vrbis orientalem,ther
mæ sunt in publico , quæ Arcadianæ vocitantur:
vrbé verò Constantinopolim, quæ varia habet or-
namenta,mirum in modum exornant. Quo in lo
co aulam rex ædificauit, vrbi quidem imminen-
tem , mari autem quieto circunfluam, vt & col-
loqui possint cum præternauigantibus, qui eo lo-
co deambulant. Exhibent igitur maritima vicini-
tatem regiæ domui, quæ aspectu ipso maris orna-
tior est, mollibúsque illius auris perflatur, ac co-
lumnarum marmorúmque pulchritudine excellit.
Nam eius solum vniuersum marmore constratum
est, cuius splendor nimia albedine oculos perstrin-
git à solaribus radiis, fulguris in morem illustra-
tum . Imagines verò illam plurimæ exornant:hæ
quidem æreæ , illæ verò ex lapide affabrè sculptæ,
spectaculum multo dignissimum relatu . Existi
mes quidem eas Phidiæ Atheniensis, aut Lysip-
pi Sicyonii opus, aut certè Praxitelis fuisse . Hîc
etiam Theodora Regina in columna excelsa
constituta est : hanc enim vrbs eidem gratifica-
ta dedicauit. Eáque imago venusta facie, sed ip-
sius reginæ forma longè inferior , quandoqui-
dem eius speciem decentissimam explicare ser-
mone , vel opere statuario consequi , non sit
cuiquam concessum mortalium. Purpurea autem
est

eſt columna,quæ etiam priuſquàm efformaretur,q reginam latura eſſet,manifeſtò ſignificabat. Quid autem ad aquæ abundantiam Byzantium perducendam Imperatori ſit exantlatum,confeſtim aperiam. Aeſtiuo tempore regia vrbs aquarum dulciũ penuria laborabat. Nam cùm ratio temporis terræ ſqualorem afferat ac ſiccitatem, fontes longè pauciorem quàm reliquis temporibus,aquam è ſcaturigine profundentes,magis neceſſarios vrbi reddiderũt aquæductus,ſeu ſulcos aquarios. Ideóque tale quoddam excogitauit Imperator. Apud regiam porticum vbi oratores & hi qui actionum formulas dare poſſunt,ad iudicia ſeſe præparant,& ſi qui alii in hoc verſantur negocio,aula quædam eſt excellenti magnitudine,longitudine, ac latitudine ſatis cõmoda:ac ex quatuor lateribus columnis fulta, non in ſolo terreo,ſed in petricoſo loco cõſtituta. Hanc quum magno negocio effodiendam admodũ profundè curaſſet Imperator,idoneum aquarum theſaurum ad tempus æſtiuum ibidem repoſuit. Nam quum eiuſmodi receptaculi influxum ſulci aquarii ſcaturientis receperint, opportuno tempore aquarum abundantiam indigentibus largiuntur. Hoc igitur pacto curauit Iuſtinianus ne Byzantii aquis potui idoneis egerent. Et regias quidem domos alibi renouans ędificauit,& in Eræo,& loco quem Iucundianas vocant,quorum neque magnificentiam

cum

cum ſummo artificio neque molem ac grauitatem digno poſsim explicare ſermone. ſed ſufficit interim dixiſſe regias eſſe domos, ac ab ipſo Iuſtiniano factas, tum quidem præſente ac ingenioſè multa cōminiſcente, eámque in rem profuſiſsimè pecunias erogante. has enim vel ſermone complecti non poſſumus. Illic etiam munitionem quandam conſtituit, quæ anteà non fuiſſet. Nam cùm inueniſſet vtraque ex parte littus ventis ac fluctibus quaſſatum de iectúmque, ſalutare quiddam nauigātibus futurum ordinauit. Arcis enim innumeris ſimul & ingenti magnitudine fabricatis, eas ad vtranque curuati littoris partem deiecit, aliáſque ſuper alias ordine quodam impoſuit, duos muros obliquos è regione inter ſeſe reſpondentes, conſtituit ab ingenti profunditate ad ipſum vſque aquæ ſuperficiem extantes: lapidéſque præruptos ea parte deiici iuſsit, vt cùm hi fluctibus pulſarentur, primúmque vndarum impetum exciperent, earum violentia à muris depelleretur. Ventóque duro hyberno tempore flante permanerent, quæ intra muros eſſent omnia tranquilla: clauſo interim nauibus vno duntaxat exitu iuxta littus. Illic etiam ſacræ ædes conſtitutæ ſunt, quas anteà deſcripſi: & porticus, & vici, & balnea, in publico aliáque fermè omnia, vt hæc ab ædificiis regiis, quæ in vrbe ſunt, minimè ſuperentur. Et portum quidem alterum fabricauit in continente,

qui eſt ex aduerſo vrbis in locis Eutropii cognomẽto, à quibus Eræum.i.Iunonis templum haud longè abeſt. Ea igitur quæ ſunt à Iuſtiniano in vrbe regia exædificata, vt breuiſsimè dicam, ſic profectò ſe habent. Hoc autem quod ſolum nobis reliquum eſt, confeſtim explicabo. Ex vniuerſo terrarum orbe turba hominum omne genus ad hanc vrbem proficiſcitur. Venit autem eorum quiſque aut negocio quopiam coactus, aut ſpe, aut fortuna adductus. Multi autem qui in rei familiaris verſãtur anguſtia, Imperatori ſupplicantes, reipub. addicuntur, ob penuriam quandam, vel iam prementem vel futurã, quibus opus eſt præter reliquam rerũ omnium inopiam, etiam domibus cedere, conductáſque dimittere, cùm non poſsint precium conductionis mercedémque perſoluere. Hac illos Iuſtinianus ac imperatrix Theodora neceſsitate liberarunt. Nam in proximo ipſius maris (vnde & ſtadium vocatur is locus. nam vt arbitror, certaminibus quibuſdam olim erat addictus) xenodochia miræ magnitudinis ædificarunt, vt his qui hoc genere miſerè laborarent, tempore oportuno diuerſoria compararent.

Finis libri primi.

Annota

ANNOTATIONES THEODORICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in primum librum Procopii *de ædificijs Iustiniani Cæsaris.*



Rocopius ex illustrium ordine (teste Suida) Cæsariensis, ex Palæstina, Rhetor & Sophista, scripsit historiam Romanam, bella uidelicet Belisarij, quæ circa Romam, & per Libyam gesta sunt: floruit temporibus Iustiniani Cæsaris, scriba Belisarij: sed in rebus agendis uersatus, & comes illi in omnibus bellis & gestis, quæ ipse in literas retulit: & Iustiniani nomen rebus domi belliq; fortiter gestis clarum, posteritati consecrare hisce potissimum sex libris sedulò studuit.

Cyrum Persarum regem) De Cyro uide Xenophontem in κύρου παιδείᾳ. Iustinum in primo: & Herodotum in Clio.

Signum humanitatis) Suppresso nomine Arsacen & Artabanem notat, quos ob apertas insidias Imperatori structas, exauctoratos tantùm, & posteà delicti uenia impetrata, Thraciæ cohortibus præfecit, teste eodem Procopio, libro de bello Persico tertio.

De templo sanctæ Sophiæ) Socrates in ecclesiastica historia inquit, Consulatu Constantij & Iuliani Cæsaris tertio Idus Februarij Constantinopoli maior ecclesia, quæ Sophia dicitur, dedicatur: appellationis causa satis ex Procopio liquet, quia in filij dei honorem erat extructa: qui patris æterna est sapientia, Lucæ cap 11. Hæc quo pacto, & qua de causa conflagrarit, uide Procopium lib. primo de bello Persico. Iustinianus uerò eandem posteà, in Persicæ, Vandalicæ, & Gothicæ uictoriæ memoriam, multo magnificentius extruxit, & uoluit in præscriptionibus cētum annorum frui priuilegio: in auctentico, quas actiones C. de sacrosanctis ecclesijs: Nam Romanæ ecclesiæ appellatione, ueteris & nouæ Romæ, intelligitur.

Byzantij) Stephanus περὶ πόλεων, Βυζάντιον, τὸ ἐν θράκῃ βασίλειον, πόλις διασημοτάτη πρὸς τῇ προποντίδι, πρὸς τοῦ μέρει τῆς εὐρώπης, id est, Byzantium Thraciæ urbs est, regia & illustrißima ad Propontidem, in parte Europiana. Hanc alij à Byzante: alij, ut Iustinus lib. 4. à Pausania Spartano conditam asserunt: Lygos anteà appellata

 Plinio,

Plinio: fuit huius urbis murus aliquando (ut Suidas inquit) Milesio quadrato lapide: adeò indiscreta laterum structura, ut una propè muri compages spectantibus uideri possit. Hanc postea Constantinus Magnus ampliore mœnium circuitu construxit, Romæ, opere & nomine etiam æmulam. Quare suo nomine κωνσταντινούπολιν, *& secundam Romam, etiam edicto promulgato uocari uoluit: & Iustinianus in suis constitutionibus nouam Romam frequenter appellat. Hæc in nephariæ gentis Turcicæ libidinem decidit, Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, in qua non sine graui nostro dedecore multis annis est dominata.*

De domo Augusta) Imperatoriæ ædes priùs prætorium, principia, & Augustale, deinde Augustæum uocatæ sunt, & ab Augusto sic nominatas esse Suidas ait, Constantinum locum etiam in quo matri statuã collocarat, Augustæum uocauit, eodem teste, qui Iustinianum quoque Imperatoriam aulam repurgasse, & uetus Augustæum expoliuisse memoriæ prodit.

In ipso columnæ fastigio) Eadem longè dilucidiùs Suidas explicat, quæ in hunc modum latinè reddidimus: Equestrem sibi statuam in columna posuit, læua orbem gestantem, cum cruce infixa, quasi huius ope uniuersi terrarum orbis uictor extitisset: per sphæram terra significatur, propter formam orbicularem: fides uerò per crucem figuratur, quòd in illam deus humana carne assumpta, suffixus esset. Dexteram in orientem protensam tenet, Persicos tumultus indicans, quasi utriusque manus extensione diceret: sistite gradum, nec ulteriùs gressum promouete, non enim impune feretis. Diuersa est lectio apud Suidam & Procopium, Suidas enim σφαῖραν, *Procopius* πόλιν *scribit, sed Suidæ lectio magis arridet.*

Xenodochium Sampsonis) Huius meminit Iustinianus in constitutione de ecclesiasticis titulis in fine, neque locus tamen ab utroque interprete satis est intellectus. Codex enim græcus sic habet: φυλάττεσθαι δὲ κελεύομεν τῷ εὐαγεῖ ὀρφανοτροφείῳ τῆς βασιλίδος πόλεως καὶ τῷ ξενῶνι τῆς ἁγίας μνήμης Σαμψῶν, πάντα τὰ προνόμια: *Antiquus interpres pro* μνήμης *legit* μαρία: *& Oleander, ne ipse quidem satis uidetur sententiam assecutus: Quare textum in hunc modum restituimus Conseruari iubemus Orphanotrophio regiæ urbis, & xenodochio sanctæ memoriæ Sampsonis, omnia priuilegia: hoc orphanotrophium sancti Pauli, uocatũ, à Iustiniano quoque conditum fuit. Suidas enim inquit,*

οὗτος

οὗτος κτίζει καὶ τὸν ἅγιον παῦλον τὸ ὀρφανοτροφεῖον.

Duo praeterea xenodochia) In urbe Constantinopolitana xenodochia, orphanotrophia, brephotrophia, ptochodochia, nosocomia cum asceteriis fuisse à Iustiniano partim extructa, partim instaurata graeca constitutio de ecclesiasticis titulis seu canonibus satis declarat: de quorum priuilegijs uide totum titulum Codicis de episcopis & clericis, qui horum omnium quoque inscriptionem habet.

Templum uirginis in Blachernes) Vrbs Constantinopolitana in regiones quasdam erat distributa, quemadmodùm & Roma: quarum una Blachernes uocabatur. Nam, ut inquit Suidas, ὁ ἀναστάσιος κτίζει τὸν μέγαν τρίκλινον ἐν βλαχέρναις ὃς ἀναστασιακὸς λέγεται, id est, Anastasius magnum triclinium in Blachernes extruxit, quod Anastasiacum uocatur. Pomponius Laetus insignis scriptor hoc templum uirginis matris nobile, non à Iustiniano, sed à Theodosio conditum in eiusdem uita scribit.

Aegaeum mare) Mare Aegaeum magnum, & insignium insularum est, teste Plinio libro quarto: & dictum autumat à scopulo qui inter Tenum & Chium extat, quem à caprae specie graeci αἶγα dicunt.

Pontus Euxinus) Pomponius lib. 1. olim, inquit, excolentium saeuo admodùm ingenio Axenus, pòst commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus: Axinus quasi ἄξενος .i. inhospitalis uocatus apud Sophoclem & Theocritum: Strabo lib. 7. ὁ εὔξενος νῦν πόντος, ἄξενος δὲ πρὶν ἐκαλεῖτο, id est, qui nunc Euxinus, Axinus priùs uocabatur. Eadem Lucianus in dialogo φιλία: Hic pontus inter duos est Bosphoros Cimmeriū & Thraciū, teste Polybio, & Euxinus posteà uocatus, quòd Hercules hunc locū purgarit, hospitalémque reddiderit. De huius ponti lustratione extat libellus perquàm uenustus Arriani historiographi ad Adrianum Imperat.

In urbe Armeniae Melitene) Hoc factum fuisse imperante Diocletiano & Maximiano, Eusebius ecclesiasticae historiae libro 6. est testis: qui cum Nicomediae cruēta admodùm caede in Christiani nominis professores grassatus fuisset, nihilo tamen segniùs omne crudelitatis genus apud Melitenen prouinciam & Syriam exercuit, ubique foedum & miserabile spectaculum exhibens.

Turba erat Byzantij) Lenocinium committere eos iurisconsultus censuit, qui quaestuaria mancipia haberent: quod malum cùm Byzantij omni

neglecta pudicitia, fœda contagione inualesceret: Iustiniano causa fuit, ut insignem illam omnis iuuentutis perniciem, olim quidem ex prætoris sententia infamia solum notatam, extra imperij fines eliminaret: de qua re extat Iustiniani perquàm elegans constitutio, quæ inscribitur περὶ τοῦ μὴ ἔιναι πορνοβόσκους, ἐν μηδενὶ τόπῳ τῆς τῶν ῥωμαίων πολιτείας. *i. ne quo in loco per imperium Romanum sint lenones: sed huic leg., proch dolor, permultum dissuetudine est derogatū, ut hæc fert ætas.*

In libris) Hi libri omnes extant, quibus Persicum, Vandalicum & Gothicum bellum describitur.

Annuum festum celebrat) Hic mos ex antiquo Romanorum instituto defluxit: nam & Suetonius scribit Caligulam, illum sordidum & fœtidū Imperatorem, Calendarum die ineuntis anni, in uestibulo ædium stetisse, ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis turba ferebat.


Phidiæ Atheniensis) Phidias inter statuarios longè clarißimus, ob Mineruæ statuam affabrè elaboratam, à Plinio artifex nunquam satis laudatus, est appellatus. Nec inferiorem laudem eadem ars Lysippo peperit, de quo Propertius:

Gloria Lysippo est animosa fingere signa.

His additur tertius Praxiteles, qui marmorum sculptor eximius fuisse perhibetur: maximè quod Venerem artificiosè in marmore cælarat. de horum monumentis uide latißimè Pausaniam in commentarijs Græciæ.

Finis annotationum primi libri.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER secũdus. Interprete Francisco Craneueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



QVotquot equidem Constantinopoli eiúsque in suburbiis sacras ędes Iustinianus nouiter ædificarit, quásque temporis diuturnitate labefactatas renouarit: cæteráque ædificia, quæcunque eo loco perfecerit, priore nobis libro sunt explicata. Quod reliquum est, ad arces ac propugnacula vobis est abeundum, quibus extremas oras Romani imperii sepsit. Qua in re etiamnum erit necessarium, vt nos sermo deficiat. Non enim pyramides enarrabimus, quæ res ad Aegypti quondá reges peculiariter pertinebat, studiũ sanè multis decantatũ, sed quod nulla tamen occulta vtilitas cõmendabat. Atq munitiones omnes, quibus hic Imperator seruauit imperium, barbarísque facultatem abstulit, ne populo Romanæ ditionis moliri possent insidias. Itaque à finibus Medorum inchoare non absurdum mihi visum est. Posteaquàm Medi ex Romanorũ terra discesserunt,

cesserunt, Imperator Anastasius in extremis Persarum montibus vicum quendam ignobilem, cui Daras erat nomen, muro studiosè cinxit, futurum obstaculo hostibus. In fœderibus autem quæ aliquando Theodosius Imperator cum Persarũ gente percussit, disertè cõtinebatur, neutros in locis ad se spectantibus, quæ & finibus alterius partis essent constituta munitionem vllam nouam esse machinaturos. Ita prætendentes Persæ fœdera pacis, impedimento fuerunt nouo operi, tametsi Hunnici belli negocio premerentur. At Romani imparatos eos videntes diligentiùs in ædificando versabantur, conabantúrque studio preuenire priusquàm hostes ad ipsos peruenirent. Obseruantes autem perpetuò omnes aditus, ædificium exactissimè non perfecerũt; temporis breuitate securitatem eis adimẽte, ne qualem vellent operam ei rei impenderẽt. Nam breuitatem temporis non cõsueuit comitari securitas: neque festinationem exacta operis absolutio. Sic igitur sedulò ac festinanter perfecerũt erectionem valli, non equidem talis valli, vt ab hostibus non posset oppugnari: sed altitudinem ei necessariam imponentes, non tamen lapides idoneo quenquam loco collocarunt, aut sicut oportunum est coniunxerũt, aut calce, vt par est, exornarunt: tempore verò exiguo niuibus solisque calore, quum turris ac propugnacula edificiorum firmitatẽ seruare non possent,

plurimæ

plurimæ earum fissæ sunt ac diruptę. Sic equidé pri mùm in vrbe Daras, muri sunt constituti. Cogitans autem ac secum reputans Iustinianus, Persas hanc munitionem minimè neglecturos, quum apud ipsos à Romanis præsidio teneretur, eam omnibus remediis sic muniuit, vt nec adiri ab hostibus, nec quouis modo posit oppugnari. Nam priora propugnacula lapidum seu materiæ loco reputans, diruit, in angustiis potißimùm, solis eorum vestigiis, veluti specie ostiorũ relictis. Craßitudinem autem fundamentis imposuit, ne si magnitudine incumbentis molis grauarentur, præter decorum quicquam operi contingeret. Deinde turres iam fatiscentes, id qđ iam diximus, diruere quidem minimè licebat, hostibus ex propinquo semper oportunitatem expectátibus, aßiduéque inuestigantibus, an aliquam partem valli muro forsitan carentem nácisci possent. At extra earum quamlibet aliud ędificium in quadrato ædificauit, & fossam latitudine ac profunditate idonea præditam, in longum effodit. Cuius fossę vtrunque terminum propugnaculo iunxit, ac hostibus eo pacto, ne insidias muro moliri possent, inhibuit. Fecit item aquarum receptacula tum intra vallum atque propugnaculum, tum proximè apud téplũ quod diuo Bartholomæo apostolo sacrum est, versus occidentem solem fortè collocatum. Fluit autem ex suburbio fluuius, qui vrbem in duas par-

tes secat,is Cordes appellatur. At ex vtraque parte duo scopuli hęrent vehementer duri. Excipiunt autem illum in vrbem hoc pacto. Aquęductū ex ipso vallo magnū fecerūt,ac verubus ferreis ipsius aquę ductus initiū fræquentibus ac crassissimis partim directis,partim recuruis,seu trāsuersis munierūt, atq; ita introitū fluminis in vrbē͏̃ pfecerūt. Qđ sic in vrbē pueniens,eius receptaculis cōpletis, emittitur in aliam vrbis regionem. Circūiens autem eius cāpos vrbem ipsam expugnatu facilem efficit. Illic enim habere exercitum hostibus minimè graue aut molestum est,propter aquæ copiam. Quod ne ita fieret,Iustinianus animum aduertit an remedium vllum possit inuenire. Deus autem hanc animi fluctuationem curans,rem ipsam sua sponte sinens eueni re,citra vllam curam atque negocium seruauit vrbem: Idq; hoc modo euenit: Vnusquispiam eorum qui illic in præsidio militabant,seu viso aliquo nocturno spectro monitus,aut casu ad hoc adductus, cum artificibus qui in ædificationis opere versaban tur,amicitiam contraxit,magnámque ex his turbā iussit intra vallum fossam effodere. Aquam enim potui congruentem illic inuenire putauit, profluen tem ex terræ visceribus. Qui cùm fossam in circuli formam ad magnam altitudinē perduxisset,hoc ipsum vrbi salutiferū fuit. Nā cùm hymbres intereà ingentes dicidissent,fluuius de quo pauló antè meminι

mini, ante vallum obmurmurans, ac in altum sublatus muro imminebat, alicubi quidem restagnans, alicubi verò verticosus factus ac vndabundus. Murúmque tandem perrupit, ac portis apertis ac laxatis vrbem occupauit, eámque totá peruagatus multámque stoream illuc adducens, & in fossam prædictam decidens euanuit. Ac deinceps in media vrbe fluuius iste aquarum receptaculis adimpletis extra vrbem prolabitur per suos exitus, qui illi oportunè facti fuerunt, vt suprà proximè declaratú est. Quádoquidem igitur hostilis exercitus venerit veluti vrbem oppugnaturus, exitus illos ferreis verubus munitos obstruentes, fluuium retrò redire cogunt, operéque manufacto ad fossam deducunt. Atq; ita hostes aquarum inopia presi, soluunt obsidioné. Hæc quidem in vrbe Daras Iustinianus effecit. At quo pacto sit consequutus, ne quid ea vrbs huiusmodi infortunii in posterum pateretur, ostendam. Erat Chryses Alexandrinus in artibus mechanicis dexterrimus, qui Imperatori in suis ædificationibus magnoperè seruierat. Is tum in vrbem Daras peregrè profectus erat, quum illa fluminis irruptio accidisset. qua re audita, quum doleret, ad cubiculum secessit, ac per somnum visum eiusmodi conspexit. Visus est ei somnianti eximius quidam, & toto vertice maior, quàm solent homines, ostendere machinationem quandam, quę idonea esset ad vim flumi

nis inhibendam. At ille confestim diuinam rem esse suspicatus, machinámq; & somnii visionem descripsit, & Imperatori misit, delinians id, quod per somnium didicisset. Acciderat autem vt & Imperator iam audisset, atque doleret de his quę contigērant: Isidorúmque & Anthemium accersisset, quorum suprà memini, quibus rem vt erat, communicauit. Quo tēpore, veluti aspirante fortuna, Chryses ille vltrò suscepto hoc officio, atque ex inspirato rē deliniauerat. Hæc autem erat somnii forma. Nondum enim visis Chrysæ literis, cùm consilium abiturum consurrexisset, famulus Chrysæ Imperatori literas somniiq; demonstrauit effigiem. Qui accersitis rursus architectis, iussit eos memoria repetere ea, quæ priùs ipsius de opere visa fuissent: illi verò per ordinem repetebant, quæcunque Imperator ex communi sententia fieri mandasset. Tunc Imperator eum qui à Chrysa missus erat, ac literas ostendens, in magna illos admiratione constituit, mente reuoluentes, quo pacto deus in omnibus quæ sint reipublicæ profutura, Imperatori opituletur. Rata fuit igitur regia ordinatio, accedēte architectorum arte ac sapientia: fuitq; Chryses in vrbę Daras his præfectus, qui àbsoluere debebant ea quæ scripta erant omni diligentia, fecitq; quę iussus erat hoc modo. Inter vtrunque scopulum in quorum medio fluuius delabitur, munitionem fabricauit, latitudine atque

que altitudine idonea. cuius munitionis terminos ſic monti vtrique ex omni parte coniunxit, vt aqua fluuiatilis eò illabi non poſſet. Hoc autē opus, qui in ea ſunt arte periti φράκτηρ aut ἀρίδα vocant. At fe neſtras in ea munitione fecit, ne cùm flumen repētè eo loco exūdaret, oī fluctuū violentia terminos poſ ſet excedere, ſed effluere per eiuſmodi foramina paulatim permitteretur, donec inſueta magnitudo deſineret: portáſque quas anteà repentino incurſu flumen aperuerat, ac laxauerat illinc ſuſtulit: magniſq; lapidibus priorem alueum obſtruxit, ſed in propinquo loco arduóque iuxta valli præcipitem partem eaſdem conſtituit, vbi flumini quàm minimum eſſent peruiæ. Hæc igitur ita ſe habent. Erat autem in magna vrbis parte aquarum inopia, cùm nec haberent ſcaturientem vſquam fontem, ſed quibus proximus fluuius per biuium profluebat, hauſta ex eo aqua pauperculi potum accipiebant. Quibus autem lōgiſsimè à flumine domus aberant, his ex duobus alterum erat neceſſarium, aut extremis laboribus aquam quærere, aut ſitibundos ſqualore confici. Sed aquęductum Imperator Iuſtinianus fabricauit ingentem, per quem ad vniuerſam vrbem aqua eſt deriuata, occursúmque eorum neceſsitati, qui ea parte vrbis morabantur. Templa verò ibi duo conſtituit, magnā videlicet eccleſiam (vt vocant) & diui Bartholomæi templum. Præter hæc

etiã militibus plurima extruxit diuersoria, ne incolas vrbis quoquo modo perturbarent. Apud Amidam autem, vrbis mœnia ac propugnaculum, quæ breui peritura videbantur, nouo ædificio complexus, vrbis tutelam ac securitatem cõseruauit. Quęcunque verò circa præsidia fecerit, quæ sunt in finibus earum vrbium, ea iam sum executurus. Ex vrbe Daras eunti versus Persarum loca, regio quædã à sinistris est, quæ nec plaustris nec equis vllomodo est peruia, eáq; ad iter duorum dierum viri expediti ac strénui protenditur. finitúrque ac desinit in regionem simam, ac rupibus præcipitem, cui nomen Rabdios. Hic igitur locus qui Rabdios dicitur, in petrosa est regione constitutus, prærupto ac sylue- stri. Subiacet autem huic loco regio, quam appellãt agrum Romanorum, admirantes, vt arbitror, quòd ab initio in medio Persicarum regíonum situs, ad Romanos pertineat. Hic autem Romanorum ager situs est in terra collibus abundante atque frugifera: id quod hac coniectura quisque possit assequi. Nam vndique vallant eam regionem Persarum termini. vrbecula est apud Persas nobilis admodùm, cui nomen est Sisauranon, quam cùm aliquãdo cepisset Iustinianus diruit vsque ad solum, magnam equitum Persarum turbam captiuam ducens. Ea vrbecula duorum dierum itinere viri expediti abest, ab vrbe Daras: à loco verò qui Rabdios dicitur, tri

bus

bus distat signis, aut ad tertiũ abest lapidem. Verũ enimuerò qui eum agrũ excolebát, cuius paulò antè memini, quinquaginta aureos annuos Persis exoluebant, vt securiùs sua possiderent, vtilitatémque possent ex fructibus percipere. Imperator autem Iustinianus effecit, vt omnia longè aliter se haberent, vallo vrbem Rabdion circũmuniés, qua parte sublimes maximè sunt petræ, quæ vrbi sunt contiguæ, eam talem effecit, vt hostibus non pateat vllus aditus. At cùm in eo loco cõmorantes aquæ penuria laborarent (nam in hoc scopulorum vertice fons nullus esse poterat) duo aquarum receptacula fabricauit, lapidosũmque solum multis modis perfodiens effecit, vt multa esset aquarũ vis, thesauri more conseruata. Alia verò præsidia in monte constituta, quę quidem illinc atque ex vrbe Daras, ad Amidam vsque pertransire conuenit, & quæcunque illic à vetustis sunt temporibus, ridicula quidem illa depositis fastigiis ac tecto ad minorem tutelam reædificauit, ea pulchritudine ac munitione, qua nunc sunt, vt Romanam ditionem ab incursu Barbarorum validè tueantur. Illic mons in cœlum sublatus, pendêre videtur præceps admodùm, & aditu difficilis. In cãpo verò subiacet regio terrea, mollis admodùm ac arabilis, pecori pascendo vtilissima. nam herbarũ copia virescit. Plurimi autem vici ad pedes eius mõtis siti sunt, qui ab hominibus habitantur, ad res ne-

cessarias

cessarias parandas felices atque idonei, sed faciles captu, si quis hostiliter eos aggrediatur. Qua in re prouidit illis Iustinianus Cæsar, præsidium in vertice montis cõstituens, vt eo loco preciosissima quęque suarum rerum collocarētur, vt si quando irruerent hostes, sursum versus præsidium illud cursim fugiendo seruarentur. Idq́ præsidium regium cognominatum est. Et circa vrbem Amidam præsidia, argilla duntaxat circundata, quę ab hostibus adiri vndique poterant, reædificauit, exactissimáq́ue ratione muniuit. Omnia igitur nominatim persequi, idq́ exactiùs, non est facile. sed vt omnia summatim comprehendam, primum insidiaturis obnoxia quęque talia fecit, vt oppugnari non possent. Atq́ ex eo tempore ingressus Mesopotamiæ, Persarum genti manifestò est ademptus. Nec illud prętereundum est, quod ad tuendum præsidium Baros appellatum adinuenit. Nam intra præsidiũ nulla erat aquæ copia: in excelso autem monte locoq́ præcipiti Baros illud est ædificatum. Extra verò ipsum, veluti in radice montis insolita, videbatur inutile muro munitionem circundare, quasi nulla pars eius in excelso posita, captu facilis esset. Tale verò quiddam excogitauit: ea quę intra munitionem erant, perfodi iussit, donec ad locum planum peruenirent. Quod cum perfectũ esset, visa est istic influere ex fonte aqua. idque præter opinionem. Sic igitur

tur securum fuit præsidium,& aquæ copia prẹditũ. Itidem quum vallum vrbis, quæ Theodosiopolis dicta, prope flumen Aborran sita est, tempo ris diuturnitate dirutum esset, pro maiore parte Cæsar ædificauit, vt impetum Persarum in Mesopota miam prohiberet. Quid autem in Constantina vr be ædiderit, relatu dignum est. Fuit olim Constá tina circumuallata, sed ea altitudine, quæ scalis pos set superari, reliquóque apparatu, facilè vt posset inuadi. Tantũ enim inter se distabant turres, vt si qui inter easdem aggressi vrbem oppugnarẽt, non possent, qui in turribus starent, eos depellere. Deinde huic vrbi tale erat propugnaculum, cui tamen sup- ædificatũ aliquid videbať, quod ex ima parte, eáque exigua Milesio lapide factum esset: sup̱ior pars ex albo (vt vocant) lapide, periculoso vehementer & molli, ac prorsus irruẽtibus captu non difficili. Cæsar verò Iustinianus vbique inter binas turres alteram interposuit, atque ita fuerunt admodùm inter se propinquæ. Vniuerso autem muro omnibúsque turribus ingenté altitudinem adiecit, ac inexpugna bilem hosti munitioné obiecit, aditúsq; ad turres oc cultos fecit, triplicibus fastigiis ex lapide cõstructis, ac recuruis testudinibus, vt quælibet earum πυργοκάστελλον, id est, turritum castellum, & esset & vocaretur. nam pr̨esidiorum munitiones Latini sua lingua castella vocant. At ab aquis vrbs Constantina into

f lerabi-

lerabilia quædam olim eſt perpeſſa : nam extra vrbem ad primum lapidem fontes ſunt aquarũ potabilium,ſyluaq́ eo loco creſcit mediocri magnitudine,excelſis prædita arboribus.Sed quæ ſunt intra illud ſpacium conſtituta,non in plano, ſed in accliui vicos habent.carebat igitur aquis iam olim:Cæſar autem Iuſtinianus aquæductu fluentum deduxit intra murum, fontibúſque perennibus exornauit vrbem,vt meritò dicatur eorum fundator,qui locum fecerit habitabilem,græcè οἰκιστής.Erat autem Romanum præſidium prope flumen Euphratem,in extremis Meſopotamię quod Circeſium vocabatur.hoc Cæſar Diocletianus ſuperioribus temporibus ædificarat.Iuſtinianus autem qui nunc imperat,tẽporis diuturnitate labefactatum comperiens neglectum. atque cuſtodia deſtitutum , idipſum munitione firmiſsima cinxit,effecitq́,vt vrbs eſſet magnitudine ac pulchritudine inſignis . Diocletianus enim illic caſtellum muniuit,nõ orbiculari figura muro circundato,ſed vſque fluuium Euphratem deducens valli ædificium , & vtrinque in extrema parte turrim conſtituens,regionis latus abſq́ muro reliquit. Exiſtimauit enim fluminis aquam ſufficere ad loci tutelam. At procedente tempore nouiſsimam turrim quæ ad auſtrum verſa erat,fluminis fluctus aſſiduò quatientes,totam exederunt. Erátque facile cognitu,niſi quàm citiſsimè quiſpiam ſubueniret,eam

breui

breui casuram esse. Visus igitur Iustinianus à diuino numine hac exornatus animi propensione, vt vniuersum Romanum imperium ipsi curæ sit. Hîc igitur non modò turrim laborantem, Milesio lapide reædificauit, qui naturâ durus est: sed & munitionis partem muro carentem, totam munitissimo muro circundedit: quâ flumen est, duplicem loco securitatem comparando. Quæ igitur ad Circesium præsidium pertinent, hoc pacto sunt ædificata. Itidem & præsidia quotquot circa vrbem, quę Theodosiopolis dicitur, sita sunt: hęc quidem anteà muris carentia, hæc autem argilla ac ridiculis rebus veluti sepibus munita, terribilia nunc, & inuadentibus prorsus aditu difficillima fecit. Erat autem eo loco regio quædam, in quam frequẽs accessus Sarracenis erat, & dissipare syluam densam simul & vmbrosam poterant, & montem qui syluæ adhæret, ac securè decurrere aduersus Romanos, hac in regione commorantes. At nunc turrim ingentem eo loco Iustinianus ædificauit, quæ possit incursum hostilem arcere: quam artificiosa adinuentione contra eorum insultum excogitauit. Quæ in Mesopotamia sunt à Iustiniano Cæsare facta opera, porrò ex equi necessariũ est, ac meminisse vrbis Edessæ. Accidit enim vt murus vrbis Edessæ, ac propugnaculum temporis diuturnitate labefactata, minimum abessent, quin inter rudera ruináſque numerarētur.

Ideóque vtraque reædificans nouo opere ea excitauit, longéque munitiora, quàm anteà fuissent. Sed & Carras & Callinici vrbem dirutis veteribus muris ac propugnaculis, quas lõgo iam æuo labefactatas constabat, inexpugnabiles fecit. Prętereà præsidium, quod in Batuis erat muro carẽs ac neglectũ, munitissimis mœnibus circundans, ad eam pulchritudinem, qua nunc visitur, perduxit. Atque in veteri Comaginis regione, quæ nunc Euphratesia dicitur, neutiquam in propinquo iuxta se habitant Romani ac Persæ. Est enim regio deserta ac sterilis omnino, quæ fines vtrorumque longissimè disterminat. Igitur prędia ociosè ædificarunt látere crudo, proximè ad terram vtrinq; habitatam, cùm nihil haberent, quod aduersarii magnoperè concupiscerent. Imperator igitur Diocletianus hoc pacto tria eo loco præsidia collocauit, quorum vnum nomine Mambri, quod longo tempore fatiscebat, Iustinianus Cęsar renouauit. Ab hoc prędidio ad quĩtum lapidem, versus Romanam ditionem pergẽti, Zenobia quondam Odonathi vxor, qui inter Sarracenos principatum obtinebat, vrbem quandam ædificauit superioribus annis, ac nomen reliquit vrbi. Zenobiam enim eam, vt par erat, nominauit. Sed quum plurimum tẽporis effluxisset, ruinosa facta sunt mœnia. Licebat igitur Persis cum authoritate versari in medio Romanorum. Sed hanc Iustinianus

nianus reædificauit, vt munimentum esset Romani imperii, contráque Persas præsidium. Nam fecit eã longè munitiorem, atq; fuisset anteà. Scopuli enim ei ex proximo circunsistunt, ex quibus hostes com modè poterãt eos, qui in fastigiis murorum vrbem defensabãt, iaculis ferire. Quam rem impedire magno studio conatus, ædificium quoddam alterum adiunxit, quod murorum ambitum altitudine longè superaret. Idq; potissimùm locis scopulo vicinis, quod ædificium πτερὰ, id est, alas vocant, quãdoquidem veluti suspensum videtur à muro. Præterfluit autem Zenobiam, Euphrates fluuius, versus solem orientem proximè ad vrbis muros accedens, qui quum imbribus auctus vltra consuetum morem inundauerit, affusus muro confestim non modò ad fundamenta, verumetiam ad ipsa mœnium fastigia sublatus est. sic vt lapidum compagines soluerẽtur, periculoseque murus laboraret. At lapidem ingentem molarem securitatis causâ, qui æqualis esset, loco laborãti subiecit: atque ita murum ac fastigium prorsus à periculo liberauit, etiam si fluuius vndas ad summam magnitudinem excitaret: Non solùm autem quæ ad vrbis tutelam pertinerent, accurauit, verumetiam templa ibidem dedicauit, militariúmque signorum domos ac lauacra, balneásque fecit, & porticus publicas. Post Zenobiam autem, oppidulum nomine Suron, ad flumen Euphratem si-

tum, tam humilem murum habuit, vt cùm Cosroës vrbem oppugnaret, vix hora dimidiata cùm propulsarent, sed recto cursu à Persis captum est. Verùm hoc oppidulum itidem vt Callinicum reædificans, ipsam vrbeculam muro ac propugnaculo fortificauit, ne incurrentibus hostibus pateret. Ac templum condidit Sergio Comagenis seu Euphratesiæ illustri diuo, quem ibidem homines olim religiosè venerantes, Sergiopolim cognominarunt eam regioné, & muro angusto circundederunt, qui Sarracenicos incursus illinc posait arcere. nam non sunt Sarraceni naturâ idonei ad vrbes mœnibus cinctas oppugnandas. Et quanquàm murus sit vilissimus, & ex argillis confectus, facilè tamen impedimentum affert aduersus illorum impetum. Sed postea templum istud opum affluentia præpotens & illustre prorsus factũ est. Id expendens Iustinianus, rem accuratè secum pertentauit, muróque decenti circundedit, aquarúmque copiã ad vsum vrbis cõparauit, domósque & porticus, aliásque structuras in ea posuit regione. Sed & præsidium militare ibidem constituit: oppiduláq; & præsidia omnia in vltimis Euphratesiorum montibus constituta eâdem cura dignatus est. Prꝭter hæc etiam sacram vrbem, quam ἱεράν πόλιν vocant, obnoxiam his qui insidias tendere voluissent, magna prudentia seruauit, inutiles eius aditus obstruendo, contractiorémque faciens


ens murum ac tutiorem. Iacent autem & aliæ in locis Euphrati vicinis regiones, quæ nomine quidem oppidula dicuntur, ac muris circundantur, qui non multum à ſepibus abſunt. At has etiam Iuſtinianus muris probis circundans, alióque muniens apparatu, effecit vt iuſtè vrbes appellētur, ac ab hoſtilibus inſidiis eſſent liberæ. Sed & vrbes quas Coſroes ceperat, quum barbarus ille oportunum expectaſſet tempus, quo in occidente verſaretur Romanorum exercitus, ac tum repentè Romanam ditionem eſſet ingreſſus, quas in tãtam reſtituit ſecuritatem atque decorem, vt omnes eſſent multo quàm fuiſſent anteà feliciores, neque pertimeſcerent incurſus Barbarorum, ſemper mali quippiam machinantium. Potiſsimùm verò omnium Antiochiam, quæ nunc Theopolis eſt, ſeu dei vrbs cognominata, decore ac munitionibus impleuit, multò præſtantioribus q̃ anteà habuiſſet. Fluuium autem Orontem qui eam vrbem alluit, in ambitu pridem exiſtentem coëgit tranſlato alueo mœnibus eſſe vicinum. Rurſus aquæductu fluentum vrbi proximum verſatili rota in vrbem immittens, tutelam illi ingentem comparauit atque ſecuritatem ex Oronte conſeruauit. At qui intra mœnia locus erat, planè deſertus magna ex parte ac fœdo odore: Petræ enim ſublimes & lacunæ quæ non erant peruiæ, eam vrbis partem inter ſe partiebantur, ac difficiles illic vias efficiebant.

Igitur amota terra lapidosa: quæ cùm mœnibus vicina esset, vrbem captu facilem, dolóque redderet opportunam, ex ea quę priùs pręceps fuisset, locum planum potissimùm intra mœnia reddidit, viásque ibi fecit, non modò peditibus, verumetiam equitibus, quadrigis etiam, plaustrisq; ducendis idoneas. Sed & balneas atque aquarum receptacula in hisce montibus fecit, atque intra murum effodit puteos in singulis turribus, aquarum inopiam, qua priùs ea loca laborauerant, hoc remedio tollens. Hęc igitur sunt quæ circa Antiochiæ muros à Cæsare Iustiniano sunt facta. Ac totam eá vrbem hostili incendio exustam reædificauit. Primùm enim ad carbones cinerésque redactam vniuersam purgauit, liberum ea parte aërem faciens. Deinde solum vrbis omni ex parte, lapidibus ingentibus, quorum quisque oneri quadrigæ sufficeret, constrauit. porticibus ac foris discriminauit, aquariósque constituit, quotquot vrbi decorem essent allaturi. Theatris quoque ac thermis aliisq; eam ædificiis exornauit, quibus vrbium felicitas significari ostendiq; consueuit, sic vt priuati vrbis incolæ faciliùs ac minore labore domos ipsorum proprias ædificarent. Sicq; vrbem Antiochiam illustrioré fecit, quàm anteá fuisset. Sed & téplum illic gráde extruxit diuę virgini deiparæ. Cuius pulchritudinem omnimodámque magnificentiam verbis assequi nemo posit. Et Michaëli Archange

changelo delubrum ingens constituit. Prouidit etiam mendicis, qui morbis illic laborarēt, domos vt haberent, cæteráque, quę ad illorum curam & morborum depulsionem pertinerent: seorsum quidem viris, seorsum verò mulieribus. Idq; non minùs peregrinis, quàm qui aliquanto tempore ciues fuissent. Sic etiam vrbis Chalcidis mœnia temporis diuturnitate labefactata, vnà cum propugnaculo renouauit, ac multo eam reddidit munitiorem. Erat autem in Syria neglectum affatim oppidulum, cui nomen erat Cyrus, quod olim extruxerant Iudæi, qui captiui ex Palestina in Assyriā ab exercitu Medorum erant abducti, ac multò pòst à Cyro rege dimissi. Ideóque locum Cyri cognomine appellarunt, animi gratitudinem hoc pacto erga tanti authorem beneficii declarātes. Sed Iustinianus Imperator simul & prouidentiā reipublicæ exhibens simul etiam diuos Cosmam & Damianum mirificè venerans, quorum in proximo erant corpora, vrbem felicem murorum ambitu tutissimo, præsidiorumq; multitudine, ac publicorum ædificiorum splendore Cyrū effecit. Hoc pacto Iustinianus Syriā securam tutāq; seruauit. Est autem vrbs fortè in Phœnicia, quæ iuxta Libanum sita est, nomine Palmyra. Hanc temporis diuturnitate factam pro maiori parte desertā, munitionibus firmauit, aquarūq; copia, q̄bus reb9 Sarracenorū incursiones inhibuit.

Finis secundi libri

ANNOTATIONES THEODORICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in secundnm librum Procopii *de ædificijs Iustiniani Cæsaris.*



Yramides) de his uide Solinum & Plinium, qui has nihil aliud, quàm regiæ pecuniæ ociosam & stultam ostentationẽ fuisse scribunt. Strabo quoq; lib. 17. de his multa.

A finibus Medorum) Media ab occasu maiorem Armeniã & Assyriã, a meridie Persidẽ, ab oriente Hircaniã & Parthiam habet: Inter Medos & Parthos Caspij montes sunt. Hanc à Medea originem habuisse Dionysius poëta author est: quæ filio ueneno necato, quem ex Aegeo susceperat, huc ex Athenis aufúgit. Diuersam tamen appellationis causam Plinius & Trogus adferunt. Hæc primùm Assyriorum regibus, deinde Persis paruit: quare & Procopius crebrò Persis & Medis promiscuè utitur.

Daras) Steph. Δάρας ὃν δάρας φάσιν φρούριον ἀναστασίου πόλεως λεγόμενον ὀχυρώτατον. *i. Daræ quod Daras appellatur, præsidium Anastasianæ urbis, quod munitißimum esse dicitur. Hoc Anastasius extruxit, postquàm cum Cabade Persarum rege inducias fecisset, Procopius lib. 1. de bello Persico: fuit quoque & in Parthia urbs Dara, quam in monte Thaborreno Arsaces condiderat (teste Iustino) quo loco neque munitius quicquã, neq; amœnius esse poterat. Græcũ exemplar* δώρας *habet, sed* δάρας *legendũ, ut apud eũdem Procop. multis locis deprehẽditur.*

In fœderibus) Hinc conqueritur rex Persarum apud Procopium de bello Persico, contra icta fœdera fieri, quòd in suis confinibus Anastasius sui nominis ciuitatem extrueret.

Hunnici belli) Hi erant Hunni, quos scriptores Leuthalitas ceu Albos uocant, cæteris Hunnis nequaquàm uicinos, neque ad eos pertinentes, sed Persis propinquos uersus Boream, cum quibus primùm Perozas Persarum rex de finibus in contentionem uenit, quod Hunnicum bellum summa astutia gestum eleganter Procop. describit in 1. de bello Persico.

Cordes fluuius) Hunc eundem omnino esse existimo, qui à Ptolomæo & Pomponio in tertio, Corios appellatur.

Apud Amidam) Procopius li. 1. belli Persici Amidam Mesopotamiæ urbem

bem esse inquit. hæc quopacto fuerit à Persis direpta, & postea à Romanis recuperata, idem studiosè explicat: de Amida quoque uide Ammianum Marcellinum facundißimum historiographum lib. 18, & 19.

Sisauranum) De Sisaurano eadem habet Procopius, libro de bello Persico secundo.

Theodosiopolis apud Aborram) *Strabo lib. 16. inquit: inter Euphratem & Tygrim fluit fluuius circa Anthemusiam nomine Aborras: eundem Procopius maximum esse dicit, Euphratiq; misceri: iuxta hunc Theodosia urbs est, à Theodosio extructa, & ab Anastasio instaurata, quam hic Procopius Theodosiopolim uocat, propter Theodosiam illam, quæ in Bosphoro est Cimmerico, quam expugnauit sub Ianuensibus secundus Imperator Turcarum, & iam mutato nomine Caffa uocatur. In exemplari græco Abora legitur, sed interpres Aborras restituit.*

Mesopotamiam) *Mesopotamia inter Syriæ partes à Plinio refertur, neque iniuria, cùm apud Hebræos Syria fluuiorum uocetur, quòd inter amnes sit Tigrim & Euphratem, unde à græcis Mesopotamia uocata est, quasi* μέση τῶν ποταμῶν, *ut Stephanus inquit.*

In Constantina urbe) *Hæc à Procopio lib. de bello Persico primo Constantiana est uocata: Ammianus uerò Constantiam uocat lib. 18. & perpetua siti arescere inquit.*

Circesium) *Procopius lib. de bello Persico secundo. Est in altera fluminis ripa (inquit) Romæorum oppidum munitum, quod Circesium uocatur, præruptum ex magna parte: quod Aborras fluuius ingens hic ostia emittens, Euphrati miscetur.*

Edessa) Steph. Ἔδεσσα πόλις συρίας διὰ τὴν τῶν ὑδάτων ῥύμην οὕτω κληθεῖσα. i. *Edessa ciuitas est Syriæ, propter aquarum impetum sic uocata. Hanc in sacris literis Tobiæ 9. Rages uocari, multi asserunt, quo Tobias ad Gabelum misit angelum, hominem esse existimans. Ibi quoque Abagatus dicitur regnasse, qui datis ad Iesum literis responsum meruit habere. Hanc Turcarum dux, quando Balduinus eam tenebat, Eugenij tertij pontificis & Conradi Imperatoris tēporibus, cepit, omnibus Christianis trucidatis. Iam à Barbaris Rase uocatur.*

Carras) *Exemplar græcū Coras habet: sed Carras legendum Craneueldius ille quoq; animaduertit, in nullo disciplinarū genere non uersatus.* Steph. κάῤῥαι, πόλις μεσοποταμίας, ἀπὸ καῤῥὰ ποταμοῦ συρίας. i. *Carræ, urbs est Mesopotamiæ, à Carra Syriæ fluuio nomen habens*

bens. Lucanus in Crasso, *Assyrias Latio maculauit sanguine Carras*. Hic ut scribit Spartianus in Caracalla, lunæ templum colebatur. Marcellinus lib. 18. huius quoque meminit, & oppidum inualidum muris einctum esse inquiens.

Callinicum) Hanc urbem, ut scribit Procopius lib. 2. de bello Persico, Cosroës Persarum rex, iusiurandum & pacta irrita faciens, nullo penitus defendente cepit.

In ueteri Comagenis regione quæ nunc Euphratesia) Strabo lib. 15. Syriæ partes à Cilicia & Amano incipiẽtes, ponimus Cõmagenã, & eã quæ Seleucis Syriæ appellatur: excurrit ad usq; Mesopotamiã, Euphrate intermedio. Nã Euphrates à boreali Tauri latere exoriẽs, primo p Armeniã fluit occidẽtẽ uersus: deinde ad austrũ flexus, inter Armenios & Capadocas & Cõmagenos Taurum rescindit. Hæc posteris seculis Euphratesia est appellata (teste Procop.) uel Euphratensis & Euphrãtis, quẽadmodũ Ammianus & Stephanus scribunt. Ammianus lib. 14. Et prima (inquit) post Osdroënam Comagena nunc Euphratensis clementer adsurgit Hierapoli, uetere Nino, & Samosata ciuitatibus amplis, illustris. Appellationis causam Steph. habet inquiens, εὐφραντὶς ἡ συρία ἀπὸ τοῦ παρακειμένου ποταμοῦ ἐλέγετο. i. Euphrantis Syria uocabatur ab adiacente fluuio. Strabo Commagenam uocat.

Zenobia) Zenobia urbs est (teste Procopio lib. de bello Persico secũdo) iuxta Euphratis ripam, quam olim Zenobia Odenati uxor restituit, & de suo nomine uocauit. Erat hæc Zenobia Palmyreorum regina, mulier multis naturæ dotibus fortissima, quæ post Odenati uiri mortem in Syria Romanum rexit imperium diutius quàm fœmininus sexus pateretur, interque 30. tyrannos, qui Galeni tempore, orbem usurpabant, refertur. Tandem ab Aureliano superata, ac in triumphũ ducta fuit. De hac extat epistola eiusdem Aureliani ad senatum: uide latius insignem scriptorem Trebellium Pollionem.

Suron oppidulum) Non de Susa loquitur Procopius, quæ erat in Persia Susiana à Dareo Histaspis filio condita: urbs insignis, Persarum regum regia. Sed de ea (ut opinor) quam Stephanus Soram uocatam Phœniciæ urbem esse inquit.

Sergiopolim) de Sergiopoli uide eundem Procopium libro de bello Persico secundo.

Hierapolis) Stephanus huius nominis quatuor urbes recenset: Primã inter

inter Phrygiam & Lydiam, calidarum aquarum ſcaturigine claram: de qua plura Strabo: Secundam in Creta: Tertiam in Syria, cuius hoc loco fit mentio: quam & ἱερόπολιν per o uocatam inquit.

Antiochia) Stephanus, Ἀντιόχεια, δέκα πόλεις ἀναγράφονται, εἰσὶ δὲ πλείους. πρώτη συρίας. i. Antiochia. decem hoc nomine urbes, & plures literis proditæ ſunt, quarum prima eſt Syriæ. De hac Ammianus lib. 14. de Syria loquens: Hanc, inquit, nobilitat Antiochia, mundo cognita ciuitas. In ſacris literis Reblata uocatur, quò Sedechias rex captus, ad Nabuchodonoſor Babyloniæ regem perductus fuit, atque oculis orbatus: lib. 4. Regum ca. 25. Quare Anthiochia dicta ſit, Suidas tradit, ἀντιόχεια ἡ πόλις, πεποίηται μὲν ὑπὸ σελεύκου, ὀνόμασαι δὲ ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀντιόχου. i. Antiochia urbs à Seleuco eſt condita, & ab eius filio Antiocho cognominata. Erat enim una ex Tetrapoli, quam Seleucus cōdiderat, tandem à Iuſtiniano Theopolis uocata. Steph. θεούπολις ἡ μεγίστη τῶν ἑῴων πόλις, ἡ πρὶν ἐξ ἀντιοχείας μετὰ τὸν σεισμὸν ὀνομάσθη ἀπὸ ἰουστινιάνου. i. Theopolis maxima orientis ciuitas, quæ Antiochiæ nomine mutato, poſt terræmotum à Iuſtiniano ſic eſt appellata. De hoc terræmotu, quo Antiochia inſigni clade uaſtata fuit, uide Dionem Caſſ. in uita Traiani. Hîc prima cathedra fuit Petri Apoſtolorū princip.

Orontes fluuius) Strabo lib. 15. prope urbem (de Daphne loquitur) Orontes labitur, qui ex Cœloſyria ortum habens, poſteà ſub terram illatus, iterum emergit, & per Apamienſem agrum, & prope Antiochiam procedens in mare Seleuciæ proximum defertur, & cùm priùs Typhon diceretur, mutato nomine ab illo qui in eo pontem fecit, Orontes eſt appellatus. Huius & Ammia. meminit lib. 14. & multis in locis Procop. Polybius uerò inſalubres humanis corporibus aquas dicit habere. ad huius fluminis oſtia urbs Antiochia portū habet, q hodie S. Simeonis uocatur.

Chalcis) Huius appellationis urbes quatuor fuiſſe Stephanus & Strabo referunt: Primam Eubœæ: Secundam Corinthi: Tertiam Aetoliæ: Quartam Syriæ, de qua hic loquimur, & Strabo 16. poſt Macram (inquit) eſt Maſyas, habens montana quædam, in quibus eſt Chalcis tanquam Maſyæ arx.

Oppidulum Cyrus) Non loquitur Procopius de urbe à Cyro in extremis Perſarum finibus extructa, & ob id κύρου πόλις uocata à Stephano, ſed de alio ignobili oppidulo, quod apud Stephanum mendoſé κύῤῥος legitur pro κύρος, eſt enim, ut ille inquit, Cyrus oppidū Syriæ

Iudæi

*Iudæi captiui)*Hæc Iudæorum captiuitas cōtigit sub Nabuchodonosor rege Babylonis, qui Sedechiæ regis capti oculos effodit, & filios occidit, urbem cum templo domini succendit, Regum 4, cap. 25. Hos restituit Cyrus, ut Isaias uaticinatus erat, sic inquiens de Cyro: *Miserebitur enim dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eas faciet super humum suam, adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob:* Isaiæ cap. 14. Ieremiæ cap. 25. ' sdræ 1. cap. 1.

*Syria)*Hæc regio latißimè patet, ut quicquid à Tigri fluuio usque ad Aegyptum sit, generali uoce Syria uocetur: in multas fuit prouincias dissecta. Erathosthenes Syros ait appellari, ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι: quòd in his regionibus maria sint tumida, in continentémque limum trahant, fructibus admodùm utilem. Plutarchus uerò à Syro Appollinis & Sinopes filio appellatam existimat.

*Palmyra)*Hæc totius Syriæ arx est in mediterranea, & regio Palmyrena, quæ olim inter duo imperia Romanorum & Parthorū discordiæ causa fuit: Hanc urbem Hadrianus postà restituit, & Hadrianopolis est uocitata.

*Iuxta Libanum)*Stephanus: λίβανος ὄρος τῆς συρίας. i. Libanus mons Syriæ, de quo Strabo lib. 16. sic inquit: Libanus & Antilibanus paulò ultra mare incipientes: Libanus ultra Tripolitanum mare circa dei faciem: Antilibanus ultra mare Sidonium: desinunt ad Arabiæ montes. hæc ille. Hic mons non longè à Tripoli est, ad cuius radicem oritur fons ortorum, de quo in cantico Salomonis.

Finis annotationum secundi libri.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER

tertius Interprete Francisco Cranueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



Quidem eam regionem quæ ad orientem respicit, Cæsar Iustinianus sic fortificauit. Iam verò mihi pergendum est ad Armenios, qui ex vrbe Amida vsque ad vrbem, quæ Theodosiopolis appellatur, altera ex parte Persis vicini sunt. Etenim quondam reges Persarum ex ipso Persarum genere constituebantur. At postquàm Alexander Macedo regem Persarum interemit, Persæ quidem in seruitutẽ deducti, quieti remanserunt. Parthi verò Macedonibus restiterunt, bellóque cum his suscepto eos iure propulerunt, & ad Tigrim vsque regionem obtinuerunt. Et quod reliquum fuit temporis ad annos vsque quingentos, eisdem Parthis subiectæ fuerunt res Persarum, donec Romanis Alexander Mammeæ filius imperaret. Quo tempore quidẽ ex Parthorum regibus fratrem suum constituit Armeniis Arsacem nomine. Pax igitur eius regionis ad annos

nos vſque quingentos ſub regibus ex eodem ſangui ne natis perſeuerauit. Et is quidem Arſaces Armeniorum rex in Armenia fuit conſtitutus, Romanorum Imperatori iam olim ſubditus. At poſteriori tempore filii ſunt nati Arſaci cuidam Armeniorũ regi duo, quorum vni Tigranes, alteri Arſaces nomen erat. Pater cùm eſſet vitam relicturus, teſtamẽtum fecit, ac vtrunque filium ſucceſſorem ſibi in regno deſignauit, non tamen æqualem vtrique poteſtatem attribuit, ſed Tigrani quadruplo maiorem portionem dedit. Arſaces pater ſic regno diuiſo in fata conceſsit. Arſaces verò filius ob id quòd maiore regni parte priuatus, indignabundus rem ad Romanorum Imperatorem detulit. Tum autem Theodoſius Arcadii filius quum adhuc puer eſſet, Romanum gerebat principatum. At timore captus Tigranes, ne regno ſpoliaretur, Perſis illud ſubiecit tradiditque. Atque ita tempore aliquo bellum in ea Armeniorum regione gerebatur à Romanis ac Perſis. Poſtremò vno prælio decertarunt, vbi Perſæ Tigranis, Romani verò Arſacis cauſam tuebantur. Deinde vtrinque fœdera ſunt icta, ac demùm Romanorum Imperator principem Armeniis perpetuò conſtituit. Sed quum non poſſet ille principatus propulſare hoſtiles incurſiones, quòd illi non adeſſent cohortes militares, recogitans Iuſtinianus Imperator, tam ſemper hoſtibus ob noxiam

noxiam esse Armeniá, illũ quidem magistratũ inde sustulit, ac ducem exercitus Armeniis cõstituit, militariúmq; cohortium multitudinem illi adiunxit. Quæ igitur ad maiorem Armeniá pertinerent, sic ordinauit. In Armenia verò quæ Sophanine appellatur, vrbs est quædam, cui Martyropolis nomen est inditum, iuxta fluuium Nymphion sita. Flumen autem illud nunc diuidit Romanam ac Persicam ditionem. Nam ad alteram fluminis ripam Arxane regio habitatur, quæ iam olim Persis obtemperat. Profectò Cabades rex Persarum, quum Anastasius imperaret, incursionem fecit in ditioné Romanam, ac veluti præter propositũ à via diuertens, vrbem in plano sitá cepit, nulla oppugnatióe murorũ facta, neq; iacto vallo aut insidiis circũuentam: sed quum declarasset hoc solũ, quòd eam breui esset relicturus. Nam quum sciret qui eo loco degebant, quòd ne ad exiguũ quidé temporis momẽtum exercitui possent resistere, Cabadé recta adierunt, ac semetipsos & Martyropolim ipsi dediderunt, tributaq; duorũ annorum obtulerũt. Quibus rebus Cabades delectatus, ab vrbe quidé & regione vniuersa, veluti Persarũ imperio iam parẽte abstinuit hominesq; citra dánum dimisit, sicq; exercitũ ad vlteriora loca deducẽs, ac oppugnatiõe Amidá vrbẽ capiẽs rediit rursus in Persidẽ. Huius aũt vrbis Martyropoleos muri erant crassi, pedes vt plurimùm

 quatuor

quatuor, ac altitudo vſque ad uiginti, vt hoſtibus facilis eſſet ingreſſus, ac omnino oppugnationi opportuna. Ideóque Iuſtinianus Imperator extra vallum murum alium ædificauit, aliúdque propugnaculum, multa dignum admiratione, aliáque prorſus omnia, quibus vrbium munitiones conſeruantur. At ex Martyropoli verſus occidentem ſolem pergenti locus eſt nomine Phiſon, atque ex eo loco octo fermè paſſuum milia montes præarupti, ac prorſus imperuii, inter ſeſe coëũtes, flumina duo efficiunt, quæ proximis inter ſe locis fluunt, qúæque Cliſuras appellant. In his autem anguſtiis Iuſtinianus munitiones viſendas & militum præſidium inſuperabile conſtituit, effecitq́ ne hoſtes vllo pacto regionem poſsét incurſare. At in loco qui Citharizi dicitur, quum nullum anteà præſidium fuiſſet, in regione videlicet ſublimi præſidiũ ſtrennuum, felicitérque ſemper in bello verſatum collocauit, vt qui ea parte habitãt, ſiue Romanorũ imperio, ſiue Perſarũ regnò ſint ſubditi, neutri ab alteris malum formident, nec mutuis inſidiis ſint obnoxii, quin & nuptias inter ſe contrahunt, & fora rerum neceſſariarum mutuò frequentant, ac quæ ad agriculturam pertinent, inter ſeſe communicant. Et alium quendam locum, nomine Artaleſon, muro munitiſsimo cingẽs, præſidium inexpugnabile ibi ordinauit, militaréſque cõſtituit cohortes, quibus principem per

petuò

petuò futurum definiuit, quem Romani, ducem Latina voce appellant. Hęc igitur ab Imperatore illic sunt facta. Quæ verò ab eodem sint in reliqua Armenia elaborata, ad ea iamiam sum deuenturus. Satala vrbs olim in dubia spe constituta fuerat. Nam ab hostili terra non longè aberat, in solo autem humili sita est, subiacétque multis collibus, qui circunquaq; eam ambiunt. Cúmque ea sit loci natura, & quæ ad mœnia ptinebāt, piculosissimè erāt, ac prauè ab initio constituta, apparatúque vilissimo, longôque iam tempore collapsa erant. Sed hæc Imperator vniuersa diruit, nouáque mœnia vrbi ædificauit, ea quidem altitudine, vt superiora esse viderentur, tumulis collibúsque vicinis. Dilatauítque eam quantum ad securitatem eius vrbis pertinere videbatur: & propugnaculum multa dignum admiratione circunduxit, hostésque perculit metu. Præsidium autem Satalorum non longè ab vrbe, munitum admodùm in regione quæ dicitur Osroënorum, ædificauit. Erat autem præsidium seu castellū quoddam, in ea regione in summo vertice tumuli prærupti factum, quod Pompeius superiori tempore, Romanorum in bello Imperator cepit: ac quum regionem illam bello obtinuisset, mirum in modū muniit ac fortificauit, Coloniámque vocauit. Hoc igitur castellum tempore labefactatum, Imperator Iustinianus omni vi seruauit. Sed & Sebastæ & Nico

poleos vrbium Armeniæ muros quum omnes breui ruinam minarentur, miserabiles iam facti temporis diuturnitate, nouo opere reædificauit. Et templorum atque monasteriorum hisce locis structuras excitauit. Nam in Theodosiopoli templum virgini deiparæ dedicauit: ac Nicopoli diuis quadraginta quatuor monasterium: ac templum Georgio martyri in Byzanis ædificauit, ac proximè apud Theodosiopolim monasterium renouauit, quod vocatur quadraginta Martyrum. Erat autem locus quidem in Armenia non longè ab Euphrate in quo præsidium Romanorum militum constitutum fuerat. Locus is, Melitene: præsidium verò illud, Legio vocabatur. Illic fortè munitionem quadratam in terra plana Romani quondam ædificarunt: at quum Traiano Romanorum Imperatori commodum videretur, in vrbem munitam locus cessit, fuitq; ea metropolis genti constituta. Procedēte verò tempore creuit vrbs Melitenorum, ac ciuium multitudine abundauit. Postquàm verò intra murum habitare non possent, quia breuiori spacio conclusa erat, in campo illi proximo domos ædificarunt, templáque sibiipsis fecerunt, præfectorúmq; diuersoria ac forum, aliáque quæ sunt vrbium insignia, plateas, porticus, & balneas ac theatra, & si quid aliud ad magnæ vrbis ornatum pertinet. Atque hoc pacto Melitenen contigit muris munitio-

nibús-

nibúsque carere. Sed Anastasius Imperator eam totam mœnibus circúdare cœpit:sed voluntate nõdumperfecta in fata concessit. Imperator autem Iustinianus illam ex omni parte muro cinxit, effecitque vt Melitene magnum esset Armeniis munimẽtum simul & ornamentum. Hæc igitur opera fecit in Armenia,quę est in dextra Euphratis ripa. Quę verò fecerit in maiori Armenia, iam sum declaraturus. Theodosiopolis vrbs primùm facilis erat captu, valdéq; ad oppugnandũ oportuna. Nec enim eam propugnaculum aut fossa tuebatur, sed locus quidam ex proximo contingens vrbem, imminebat mœnibus. Ideóque Iustinianus hanc rem excogitauit,aduersus hoc malum remedio futuram. Primò fossam admodùm profundam circuli forma effodit, eámque vallibus montium præruptorum simillimam fecit. Deinde locum qui mirum in modum ferax erat, excîdens atque excauans,eum in valles ac cauernas, quæ minimè permeabiles essent, commutauit. Illud quoque subtiliter comminiscens, quo pacto vrbis mœnia mirum in modum sublimia essent ac inexpugnabilia,si quis hostiliter aggrederetur. At in Byzanis nihil hic Imperator noui fecit. Idq; ex causa huiusmodi. Iacet quidem in plano hoc oppidum: campi autem circũiacent equis pascendis idonei:aquarum

verò ibi consistentium vligines lacúsque multi sũt. atque ita hostibus est ad oppugnationem oportunissimum: incolis autem pestilentissimum. qua de causa hunc locum cõtemptui habuit, alibiq; ciuitatem ædificauit, ipsi regi cognominem, ac relatu dignam, in eo loco qui Tzumina vocatur. Igitũ quę in Armenia fecerit, iam dicta sunt. Quę verò ad Tzanorum gentem pertinent, hîc ascribere absurdũ non esse videbatur: qui quidem proximi sunt Armeniis, suis tamen legibus viuunt, ac sine principe iam oli degunt, ferino quodam victu. Deos enim esse, sylvas, ac volucres aliáque animalia arbitrabantur, eáque venerabantur. In montibus autem altissimis ac ambiguis omni tempore versabãtur, terram nullo pacto colebant, sed latrocinabantur, furtisq; vitam tolerabant. Negligunt enim terræ culturam. At regio in qua illis montes illi prærupti non obiiciuntur, tumulis ac collibus abundat: vbi verò non sunt tumuli, terra quæ extat, neque pinguis est, neque ferendis fructibus idonea, sed mirum in modum aspera, multũmque dura, ac expers frugum omnium. Nec arare terrã, nec metere fruges, nec in vsum pratorum eam uertere possunt, sed arboribus sterilibus ac infrugiferis Tzanica regio abundat, nec flores nec semen vllum afferẽtibus. Quandoquidem ibi plerunque non est ea temporum vicissitudo, nec terra nunc quidem autumnali humore ac frigore tan

gitur,

gitur,nunc eam ſolis calor vtilem facit: ſed ab ipſa hyeme perpetuò inhabitatur ,niuibúſque perpetuis perfunditur. Ob hoc ſuis olim legibus vixerunt. At Iuſtiniano imperante victi prælio ſunt à Romanis,ac certamine deteſtituti, confeſtim ſeſe omneis ei dediderunt,potiorémque duxerunt ſeruitutem labore carenté,libertate,quæ periculis plenaeſſet,ac priore opinione depoſita,religionem Chriſtianam receperunt, victúſque rationem mitiorem humaniorémque complexi ſunt,ab omni latrocinio temperantes, ac cum Romanis perpetuò aduerſus eorum hoſtes militantes. At Iuſtinianus templum ipſis in regione quæ Camalinichon dicitur , ædificans, vt ſacris etiam operarentur, effecit, myſteriorúmque fierent participes,ac precibus deum placarent,ceteríſque rebus ſanctificarentur , intelligeréntque ſeſe homines eſſe. Ac Caſtella extruens,vndique circũ regionem præſidia militum Romanorum collocauit,effecitq; vt Tzani cũ cęteris hominibus humaniter verſarentur : Illinc autem pergenti verſus orientem,vallis eſt præceps,inclinata ad ſeptentrioné: in eius media,ſi quis deſcẽdat,regione ſtabula ſunt, vt ibi Tzanorum boues ſtabulẽtur,quos ibidem alunt colendis terris.quandoquidem Tzani prorſus ocioſi ſunt,atque ab agriculturæ laboribus alieni, quemadmodùm iam diximus. Sed & lac perpetuò mulgent,atque ex bubulis carnibus viuunt . Nec

pes

pes mōtis ſuperuacuus eis eſt,quum ſit in plano pȯ ſitus.Illinc autem proficiſcēti ad ſiniſtrā verſus ſep tentrionem,locus quidam eſt,quem vocant accolæ Longini foſſatum,quandoquidem Longinus quōdam Romanorum in bello dux,Iſaurus genere,bel lum forte gerens cum Tzanis,ea parte eſt caſtrame tatus.Illic caſtellum Imperator iſte condidit,cui no men dedit Burguſnoce, quod vnius diei itinere abeſt à Siſiliſis,quod prȩſidium eſt Siſiliſorum.Itidem ab eodem Imperatore factum,ac validiſsimè muni tum. Hæc igitur in Tzanorum regione fecit Impe rator Iuſtinianus.In Amoria verò tēpla plurima re nouauit,quæ multo tempore erant labefactata. At poſt Trapezuntiorum fines locus eſt nomine Rizæum,quem quum renouaret,muro cinxit dictu at que auditu admirādo. Sed & Chriſtianorum apud Lazos eccleſiam, vetuſtis iam & putribus ædificiis vix cohærētem,nouam extruxit.At Sebaſtopolim quam Auguſtam dicere poſſumus, quæ fuerat anteà caſtellum præſidio collocando,muro circunde dit,aliiſq; munitionibus fecit inexpugnabilem, angiportibúſque & ædificiis aliis exornauit, vt ex ea vrbem pulchritudine ſimul & magnitudine celeberrimam effecerit. Verùm Boſphori ac Cherſonis vrbium,quæ iuxta littus illud maritimæ ſunt, poſt Mȩotidem paludē ac Tauros ac Tauroſchytas in limitibus Romanæ ditionis collocatæ,fatiſcē

tia

tia vetustate mœnia comperiens in eximiam pulchritudinem securitatémque restituit. Hæc igitur his locis sic se habent. Ciuitatem autem quandam maritimá Thraces habitant iuxta littus Euxini ponti nomine Anchialon: ibi fontes aquarum naturâ calentium scaturiunt haud longè ab vrbe, quæ suapte natura balneas hominibus exhibent. Hunc locum superiori tempore mœnibus carentem contempserunt Imperatores, qui antè regnarunt, tametsi in propinquo habitarent barbaræ gentes, eóque uenirent cum ingenti periculo, qui morbis laborarent, vt sibiipsis refrigerium aliquod compararét. Muro igitur locum cinxit hoc tempore Iustinianus, ac vt remedium morbi, periculo careret, præstitit. Hæc igitur terræ orientalis Armeniæque & Tzanices munitiones quæ Euxino ponto adiacent, ac propinquæ sunt, à Iustiniano sunt factæ. Hinc nobis pergendũ est ad eas structuras, quas in reliqua fecit Europa.

Finis tertii libri.



ANNOTATIONES THEODORICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in tertium librum Procopii *de ædificijs Iustiniani Cæsaris.*



Rmenios) Ste. ἀρμενία, χώρα πλησίον τῶν περσῶν, ἀπὸ ἀρμένου ῥοδίου, ὡς ἀντίπατρος ἐν τρίτῳ περὶ ῥόδου .i. *Armenia regio est prope Persiã, ab Armeno Rhodio nomen habens: ut author est Antipater, li. de Rhodo tertio. Huius colonos Phryges ab initio fuisse Eudoxus apud Stephanum memoriæ prodidit: ob metum & linguæ cum Phrygibus æqualitatem: Iustinus uerò ab Armenio Thessalo, uno de numero ducum Iasonis conditam lib. 42. inquit. Ptolomæus in Minorem & Maiorem diuisit, quæ à meridie, à Cilicia, Comagene, & Mesopotamia, Tauri intercurrentis iugis seiunguntur, quem in hac descriptione Procop. imitatus est. Sub posterioribus Impe. in quatuor prouincias diuisa, unde in Nouellis extat constitutio:* περὶ τῆς διατυπώσεως τῶν τεσσάρων ἀρχόντων ἀρμενίας. *i. de descriptione quatuor præsidum Armeniæ, in qua quadruplex Armenia describitur.*

Alexander Macedo regem Persarũ interemit) Hoc contigit sub Dario ultimo, quem regia stirpe prognatũ non fuisse Strabo author est. Hic Codomanus prius uocatus, ob memoriam pristinæ uirtutis, in bello contra Armenios gestæ, rex à populo constituitur post Occhi regis mortem, & Darij nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus: bellum cum Alexandro Magno, diu uariante fortuna, magna uirtute gessit: postremò uictus, & à cognatis occisus, uitam pariter cum Persarum regno finiuit. Iustinus lib. 10. & 11. latius.

Parthi) Iustinus. lib. 41. Parthos Schytarum exules fuisse scribit: idq́; ipsorum uocabulo manifestari: Nam Scythico sermone Parthi exules dicũtur: Stephanus enim inquit, οἱ σκύθαι τοὺς φυγάδας πάρθους καλοῦσι. *Hi montibus cincti ab occasu Mediam, ab austro desertam Carmaniã habent, & cùm Medorum & Assyriorum temporibus inter oriẽtales populos obscurißimi essent, primus Arsaces incertæ uir originis, tamen uirtutis expertæ, collecta exulum Scytharum manu, cum Macedonum robur discordijs attereretur, Persarum, Medorum & Parthorum regna inuasit,*

uasit, à quo usque ad Artabanum, Persicarum rerum Parthi potiti sunt, De his uide Strabonem, Iustin. & Herodianum.

Alexander Mammeæ filius) Alexander Mammea matre natus, Heliogabalo consobrinus, à quo & adoptatus fuit. huius uitam Aelius Lampridius & Herodianus in sexto describunt: quo imperante (ut hic inquit Procop.) Persicū imperiū Parthis ereptum fuit: quam rem Herodianus lib. sexto his uerbis describit, in oratione quam ad milites habuit Alexander, Ἀρταξέρξης ἀνὴρ πέρσης τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην ἀρτάβανον ἀποκτείνας, τὴν ἀρχὴν εἰς πέρσας μεταστήσας. ἀλλὰ καὶ τῶν ὑμετέρων ὅπλων καταθαῤῥήσας, καὶ τῆς ῥωμαίων δόξης καταφρονήσας, πειρᾶται κατατρέχειν, καὶ λυμαίνεσθαι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς κτήματα. *Artaxerxes (alij legunt Artaxates) uir Persa, posteaquàm Artabanum dominum suum interfecit, atque ad Persas imperium transtulit, etiam uestra arma lacessere despecta maiestate Romana, & iam incursare, & uastare nostras prouincias aggreditur. Hunc regem potentißimum (teste Lampridio) Alexander uicit, qui cum septingentis elephantis falcatisq; mille & octingentis curribus ad bellū uenerat, & equitum multis milibus. In huius Artaxerxis stirpe Persarum imperium ad Cosroën usque regem per quadringentos annos mansit, grauibus prælijs alterante fortuna, cum Romanis interim gestis. postremò in hæc usque tempora à Sarracenis occupatum est.*

Arsacem nomine) Hoc nomē sequentibus Parthorum et Armeniæ regibus mansit, à primo Parthorum rege Arsace, qui eos à Macedonibus in pristinam uindicarat libertatem. Hunc Arsacem Artabanū fratrem fuisse multis argumentis patet, tametsi Procop. nomen supprimat. Nam & Armeniam, quæ anteà (ut hic quoque testatur Procop.) Romanum agnoscebat imperium, tum uerò maximè in Romanas partes inclinabat, nimirum ob fratrē ab Artaxerxe regno pulsum. Id quod & Herodianus in 6. his uerbis testatur, σκεψάμενος σὺν τοῖς φίλοις ἔνειμε τὸ στρατιωτικὸν εἰς τρεῖς μοίρας. καὶ τὴν μὲν μίαν, ἐκέλευσε πρὸς τὰ ἀρκτῷα μέρη ἀφορῶσαν, δι' ἀρμενίας ἐπελθοῦσαν φιλίου ῥωμαίοις δοκούσης, κατατρέχειν, τὴν μήδων χώραν. *i. Cum amicis deliberans Alexander, exercitum in tres partes distribuit: unam iubebat per Armeniam ad septentrionem spectantem iter facere, quæ regio cum Romanis amica uidebatur, & Medorum regiones incursare: de quo uide prolixiùs eundem Procop. de bello Persico primo.*

Theodosius Arcadij filius)Hic Theodosius Iunior uocatus est,quem pater Arcadius moriens, puerum admodùm tum reliquerat, sub tutela Isdigerdis Persarum regis: qui rex barbarus & tutelā summa fide gesſit,& pacem cum Romanis quoad uixit,habuit,teste Procopio.

In Armenia Sophanine appellata)Procopius hoc loco Arrianum imitatus Sophaninen, quam alij maiorum gentium scriptores, ueluti Strabo in 11.Ptolomæus,Plutarchus in uita Pompeij,& Pomponius in 1.Sophenen uocant.Steph.σωφηνὴ χώρα τῆς πρὸς ἀρμενίαν, ὡς στράβων.παρὰ δὲ ἀῤῥιανῷ σωφανίνη.i. Sophene Armeniæ regio est,teste Strabone, quæ ab Arriano Sophanine uocatur.Hanc Strabo in 12. satis esse felicem inquit,& à potentibus semper occupatam.Quare uitiata est lectio apud Procopium lib.de bello Persico primo,ubi non Sophosene sed Sophanine aut Sophene legendum est.Item & in prædicta Iustiniani constitutione de quatuor Armeniæ præsidibus,pro ὀφηνὴ σοφηνὴ est restituendum.Quam Armeniæ regionem initio ex multis barbaricis nominibus collectam,& Satrapis subditam. Iustinianus in prouinciæ formam à se redactam,consularem effecit,& in forma ordinariorum magistratuum consistere uoluit,ut iam dicta constitutio declarat.

Martyropolis)de hac Procopius lib.de bello Persico primo,& cētum stadijs ab Attacha distare scribit. Iustinianus uerò Martyropolitanorum urbem cum Cithariza castro quartæ addidit Armeniæ.Hæc fortè nomen habet, ab cæde illa Christianorum insigni Diocletiani tempore, cùm in alijs prouincijs,tum maximè in Armenia edita.Eusеb. lib,sexto.

Nymphius fluuius)de quo Suidas,νυμφίος ὄνομα ποταμοῦ,ὃς εἰς τίγρητος ταῖς ῥοαῖς ἐμῤῥέων ὑποστρέφεται τὸ καλεῖσθαι νυμφίος.i.Nymphius fluuius est,qui in Tygrim exiens nomine priuatur. Hic fluuius Persarum imperium à Romanorum disterminabat, teste Procopio lib.primo de bello Persico.

Arxane)Strabo lib. 11.inter Armeniæ partes & Araxenam ponit, quare & hic quoque Araxane legendum esse existimo, quæ ab Araxe Armeniæ flumine nomen habet.Hic ab Armenia labens,& à Cyro amne (quē Plutarc.Cyrnū uocat)susceptus,duobus & decem ostijs in Caspium pelagus funditur: nisi quis ab Artaxata clarißima urbe deriuare uelit,ab Hannibale in Armenia condita,teste Plutar.in uita Luculli. Apud Iustinianum quoque in prædicta constitutione Anzetena pro Araxena mendosè legitur.

Phison

Phison) Procopius lib. 2. de bello Persico, Phison arcem esse inquit iuxta fines Martyropolis.

Clisuras appellant) Inter maioris Armeniæ montes, & ille fuit, quẽ Ptolom. Periarden nominat, ex quo Euphrates oritur, idémque Araxem in Caspium effluentem edit sex milliũ passuum interuallo, teste Plinio, unde Araxem & Euphratem à Procopio Clysuras uocatos omnino existimo.

In loco qui Citharizi) In hoc præsidio, loci nomine mutuato, castrũ Citharizum quoque cognominatum est, quod à Theodosia quatuor dierum itinere distat, teste Procop. lib. 2. de bello Persico. Iustinianus in dicta constitutione Citharizam nominat.

Ducem nominauit) Hic magistratus posteriorum Imperatorum tempore originem habuit, nam præter præsidem aut proconsulem limitaneis prouincijs etiam ducem militarem præficiebant, qui præsidium perpetuum pro custodia limitis habebat, quemadmodùm ex libro præfecturarum Romanarum liquet. Huic parebant præfecti militares, & rei militaris comites. Hoc modo Comes Argentoratensis in Germania prima Maguntiacensi duci paruit. Verùm dux cum præsidibus & consularibus præfectum prætoriorum uirum illustrem agnoscebant. Hinc omnes ferè nouellæ Iustiniani constitutiones ad prætoriorum præfectos inscriptionem habent: hi enim multarum prouinciarum præsides subiectos habebant. Talem etiam magistratum militarem Iustinianus Lycaoniæ et Lydiæ præfecit, quem ducem aut βιοκωλύτην, i. cohibendis uiolentijs præpositum in 145. constitutione græca uocat. In Græca constitutione Iustiniani huius ducis nulla est mentio, sed proconsulem & comitem primæ & tertiæ Armeniæ constituit: secundam uerò & quartam ordinariis reliquit. Hinc nostrorum ducatuum originem & institutionem dimanasse, aliás latiùs ostendendi offeretur occasio, qui à primæua institutione iam multùm discrepant, regióque potentatui non multùm sunt absimiles, maximè in utraque nostra Germania.

Satala) Hactenus de maiore Armenia Proco. sermo fuit, iam ad minorem contendit, in qua erat Satala, teste Ptolomæo, ἐντὸς δὲ καὶ παρὰ τὰς ὀρεινὰς σατάλα. i. In mediterranea apud montana est Satala. Huius Stephanus, & Dion Cassius in uita Traiani meminit. Traianus, inquit, cùm ferè uicina omnia sine armis & certamine subegisset, in Satala & Elegiam Armeniæ oppida protinùs transiuit.

In regione Oroënorũ) In exemplari græco ὀσρωηνῶν est legendũ pro ὀροηνῶν, quem errorem quoq; clariß. ille iurecõsultus Craneueldius Mecœnas meus, melioribus literis abundè diues, & iuris peritia nitidißimè excultus, animaduertit. Nam ab Osroë qui hos aliquando moderatus est, appellationis initiũ sumpsit, teste Procopio lib. 1. de bello Persico. Eisdem Augarus tum præfuit, quando Seuerus Imperator in Armeniam exercitum mouit, ut Herodianus lib. 3. literis mandauit, inquiens, προσέφυγε δὲ αὐτῷ, ὁ ὀσρωηνῶν βασιλεὺς ἄυγαρος. i. & rex Osroënorum Augarus ad Seuerum transfugit. Hæc ab Ammiano lib. 14. Osdroëna, & à Iustiniano in constitutione 154. uocatur, quæ inscribitur, de his qui in Osdroëna illicitas contrahunt nuptias.

Pompeius Romanorum in bello Imperator) Quod hic Procop. narrat in Mithridatico bello accidit, postquàm uniuersas Mithridatis copias Pompeius fudißet, ipsúmque cum paruis reliquijs in fugam uertißet. Nam Plutarchus in uita Pompeij sic inquit, ἐντεῦθεν ὥρμητο μὲν ἐπ᾽ ἀρμενίας πρὸς τιγράνην. i. deinde ad Tigranem regem in Armeniam mouit: & paulò pòst οὗτοι μὲν οὖν προῆγον ἅμα, τὰς πόλεις παραλαμβάνοντες. i. hi ergo unà progredientes, & castella urbésque passim captabant. Iuniorem Tigranem intelligit Plutarchus, qui à patre defecerat.

Coloneam) Hanc & Ptolomeus in minore collocat Armenia, in regione quæ ab eo Melitene uocatur, huius & Imperator in Armeniæ descriptione meminit, & primo ordini subdidit.

Sebastea) Steph. σεβάση πόλις ἀρμενίας ἡ νῦν σεβαστεία καλουμένη. i. Sebaste urbs Armeniæ, quæ iam Sebastea uocatur. Eusebius uerò hanc Sebasteam, & eam quæ Palestinæ est, Sebasten uocat. Iustinianus hãc secundo ordini attribuit.

Nicopoleos) Hac appellatione tres urbes extitiße Steph. commemorat: Primam Epiri, Secundã Bithyniæ, Tertiã minoris Armeniæ, quam à Pompeio conditam fuisse lib. 12. Strabo est author. His Socrates Constantinopolitanus quartam addit Palestinæ, quam cùm adhuc uicus eßet, sacra euangelia Emaus uocant.

Melitene urbs) Ptolomeus Melitenem regionem iuxta Euphratis ripam collocat, cuius ciuitatem eodem nomine clarã posteà subiungit. Hanc Iustinianus in Armeniæ distributione tertio ordini attribuit, de qua sic inquit: ἐπὶ τούτοις τε, τρίτην ἀρμενίαν καθιστῶμεν, τὴν πρότερον

δευτέ

δευτέραν, ἧς ἡγεῖται μελιτήνη πόλις, ἀρχαία πόλις ἐπίσημος, ἐν καλῷ τε γῆς καὶ ἀέρος κειμένη, καὶ οὐδὲ πόῤῥω διεστῶσα τῶν τοῦ εὐφράτου ῥευμάτων. i. ad hæc tertiam Armeniam instituimus eam, quæ prius secunda dicebatur. In qua principatum tenet Melitene urbs antiqua, urbs insignis, in pulchro solo, clementiq; cœlo posita, neque multum distans à fluctis Euphratis fluuij. Steph. inter Cappadociæ urbes refert, non aliam ob causam, ut opinor, quàm quòd fines Cappadociæ antiquitùs, teste Strabone, latißimè patuerint. Hic à Romanis, teste Procopio, legio erat constituta, cuius & priore libro meminit: quæ semper tria milia & trecentos equites continebat, ut erant à Romulo militares ordines distributi (teste Plutarcho in uita Romuli) De qua sic inquit: κτισθείσης δὲ τῆς πόλεως, πρῶτον μὲν ὅσον ἦν ἐν ἡλικίᾳ πλῆθος, εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλε. ἕκαστον δὲ σύνταγμα, πεζῶν τρισχιλίων ἦν, καὶ τριακοσίων ἱππέων. ἐκλήθη δὲ λεγεὼν τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. i. Condita urbe, principio iuuentutem Romanam in militares diuisit ordines, quorum quilibet tria milia & trecentos equos habuit, iiq; legiones dicebantur, quòd ex omnibus pugnaces in illis delecti forent.

Traiano) Traianum Imperatorem Armenijs quoque bellum intulisse Dione Caßio authore literis proditum est, hunc prætextum belli faciens, quòd Armeniorum rex diadema & cætera regni insignia atque iura non à se, sed à Parthorum rege, uelut illi obnoxius, sumpsisset.

Tzani) Procopius lib. de bello Persico 1. sic inquit, Ex Armeniæ locis in Persameniam tendenti, præceps panditur uia, montésque altißimi, ac prærupti, niuibus perpetuò rigentes. Hinc exiens fluuius Phasis, in terram fertur Colchorum: hic ab initio Barbari Tzani nulli seruientes habitauere, Sunni uocati antiquitùs. Arrianus περίπλους εὐξείνου πόντου Sannos uocatos aßerit. & Strabo quoque lib. 12. cum Agathia Smyrnæo, in libris de rebus à Iustiniano gestis. Quare apud Procopium mendosè Sunni, sed potius Sanni legendum existimo. Nam & Eustachius Dionysii interpres suo tempore Sannos uocatos inquit, qui anteà Macrones dicebantur: cui quoque Stephanus astipulatur. Postremò Tzani cœperunt appellari, ut Græcorum exemplarium fides declarat. Hos Arrianus ante Adriani Imperatoris tempora, Romanis solùm tributarios fuiße, sed ob incultam nimiámque barbarã uitæ rationem defeciße scribit. Tandem Iustiniano imperante uicti sunt, primùm per Sittam, deinde per Theodorum

rum strennuum ducem, teste Agathia lib, 5. Hinc in constitutione græca, περὶ τοῦ μοδεράτωρος ἑλενοπόντου gloriatur suo primùm principatu Tzanorũ gentem Romani imperij maiestatem agnouisse. Idē quoq; & in prima constitutione de hæredibus & falcidia : cuius textus statim in uestibulo corruptè legitur: quæ res utrunque interpretem in communem errorem pertraxit. Græcè in hunc modum habetur : καρχηδόνιοι δὲ παλαιὰν ἀπολαβόντες ἐλευθερίαν ἔχουσιν. ὥσπερ καὶ τὴν νῦν πρῶτον ὑπὸ τῶν ῥωμαίων γενόμενοι πολιτείαν, ἐν ὑπηκόοις τελοῦσιν. Qua re nihil potest esse absurdius, & ab historica fide magis abhorrens: cùm Punica bella orbi satis inclaruerint, quibus Carthaginenses primùm in Romani nominis ditionem uenisse constet. Verùm si pro ὥσπερ καὶ, quemadmodùm Holoander legit (nam uetus interpres omisit) τζάνοι restituatur, sensus erit, ut Carthaginenses pristinam libertatem per Vandalos ademptam, referant: & Tzani nunc primùm in ditionem imperij Romani redacti inter subditos perseuerent. Hunc errorem Agathias insignis scriptor nobis aperuit, qui lib. 5. huius constitutionis meminit & facundissimus ille iureconsultus Viglius amicus noster ex interprete ἐν τῷ βασιλικῷ quoque animaduertit.

Longini fossatum) Longini cuiusdam Isauri Procopius meminit, lib. de bello Gothorum 2. quem in prælio contra Vittigem cecidisse scribit, à quo hunc locum cognominatum existimo: nisi ab eo Lōgino quis deriuare mallet, qui teste Dione Cassio sub Traiano militauit, & à Decebalo Dacorum rege dolo captus, non priùs est dimissus, quàm ebibito ueneno se ipsum interimeret.

Sisilisi) Ab Arriano ἐν τῷ περίπλῳ τοῦ εὐξείνου πόντου Zydritas appellari apparet, aut Zelienses à Strabone li. 12, quos hoc loco Procopius sui seculi appellationem secutus, Sisilisos appellat. Nam hos Tzanis finitimos fuisse non hoc solùm loco Procopius, sed Arrianus quoque testatur. inquit enim, τούτων δὲ ἔχονται μαχέλονες καὶ ἡνίοχοι. βασιλεὺς δ' αὐτῶν ἀγχίαλος. Μαχελόνων δὲ καὶ ἡνιόχων, ἐχόμενοι ζυδρῖται, ζυδριτῶν λαζοί i. His adiacent (Tzanos intelligit) Machelones & Heniochi quorum rex Anchialus : quibus finitimi sunt Zydritæ, & his Lazi.

Amoria) A Strabone li. 12. Ameria uocatur, non longè ab urbe Diopoli, quam Pompeius condidit.

Trapezuntiorum) Ab urbe Trapezunte hæc gens nomen habet, de

qua

qua Steph. τραπεζοῦς πόλις πρὸς τῷ εὐξείνῳ πόντῳ, σινωπέων ἄποικος *.i.Trapezus urbs est iuxta pontum Euxinum Sinopiensium colonia.quare græca ciuitas à Strabone li.12.uocatur. Ab hac urbe Arrianus Euxini ponti lustrationem exorditur.Hanc patriam habuit Georgius Trapezuntius ,uir utriusque literaturæ doctißimus, quem non inuita omnis posteritas amplexabitur,monumentis exquisitæ doctrinæ æditis.*

Rizæum)de Rizæo uide Procopium li.de bello Persico secundo.

In Lazis)Steph.Lazos Scythiam gentem appellat.de his Arrianus, ζυδρείτων λαζοὶ ἐχόμενοι,βασιλεὺς δὲ λαζῶν μαλάσος *.i. Zydritis Lazi adhærent,quibus imperat Malassus. Iberi qui Asiam incolunt, prope Caspias portas,teste Procopio,Lazorum terram ad dextram habent,hi Persis aliquando paruerunt:postremò à Romanis subiugati sunt, ubi Iustinianus Petram ciuitatem ædificauit , cuius hic nulla est mentio , Procopius lib.1.& 2 de bello Persico.*

Sebastopolis)Stephanus, διοσκουρίας ἑτέρα παρὰ τὸν πόντον,ἥτις σεβαστόπολις καλεῖται,*id est,altera Dioscurias apud pontum est,quæ Sebastopolis appellatur,quamobrem Arrianus inquit ,* ἡ σεβαστόπολις πάλαι διοσκουρίας ἐκαλεῖτο,ἄποικος μιλησίων *.i. Sebastopolis olim Dioscurias uocabatur, Milesiorum colonia: Dioscurias enim uocabatur à Castore & Polluce,qui Dioscuri.i. Iouis filij dicuntur,qui simul cum Iasone pontum erant ingreßi,teste Pomponio li.1. Hæc Iustiniani tempore uix antiqui splendoris uestigia habuit , ut hic ex Procopij scriptis elucet,quæ teste Plinio aliquando clarißima fuisse creditur.*

Bosphori & Chersonis) Steph. βόσφορος πόλις πόντου κατὰ τὸν κιμμέριον κόλπον ὡς φίλων *.i. Bosphorus ciuitas est Ponti iuxta Cimmerium sinum, ut Philo ait.de qua Procopius lib.de bello Persico 1. Est enim(inquit)Bosphorus ciuitas maritima sinistrorsus Euxinū pontum nauiganti.Eodem lib.Chersonesum urbem uocat,quā hic Cherson,& itinere dierum uiginti à Bosphoro distare inquit.*

Paludem Mæotidem)Mæotis palus dicta est quasi ipsius ponti mater aut nutrix.Nam ut inquit Polybius,cùm multi amnes in Asia & Europa in eam influant,euenit ut repleta palus, per ostium suum exoneretur.

Tauros & Tauroschytas)Pomponius lib.2.Tauri Iphigeniæ & Orestis aduentu maximè memorati,immanes sunt moribus, immanémque famam habent,solere uictimis aduenas cædere,Strabo li.7.Plurimam ue=

rò partem usque ad Isthmum, sinúmque Carpeneitem Tauri, habebant: ea uerò gens est Scythica, quare & hoc loco Procopius Tauroschytas appellat, quasi è Scythia oriundos, & Tauricam habitantes.

Anchialum urbs) Hanc urbem ab Anchise patre Aeneæ ibi mortuo, Procopius cognominatam libro tertio de bello Gothico scribit, & Iornandes à Sardanapalo Parthorum rege inter limbum maris & Hæmi radices conditam in libro rerum Geticarum memoriæ prodidit, & scaturigines calidarum aquarum, quarum hic Procopius meminit, ab urbe quindecim miliaribus absunt, eodē Iornāde authore.

Finis annotationum in librum tertium.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER quartus, Interprete Francisco Craneueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



NAuigare vastum Pelagus, si quis sit ad eam rem imparatus ac desti tutus naualibus instrumentis, graue prorsus arbitror plenúmque periculi. At hoc ipsum est, Iustiniani principis ædificia ac structuras futili sermone velle metiri. Nam hic Imperator animi magnitudine tum cæteras res omneis, tum nihilominùs quicquid ad ædificandi ra tionem attinet, sic absoluit, vt omnium vicerit eloquentiam. In Europa verò ingenti studio vtilitatis dignitatē cum officio coniunxit, operáque quæ satis non possunt verbis explicari, aut in literas referri, deduxit ad vmbilicum. Fuit enim Europæ munitio ob vicinitatē Histri, atque ibidem accolentes barbaros, apprimè necessaria. Gentes enim ea parte vicini sunt Hunni & Gothi, & qui Taurum montem incolunt, & qui in Scythia degunt, & Sclaueni, & quotquot dissident cum Sarmatis, qui in curribus vitam agunt, & si quod sit aliud ferinum genus hominum, aut vi

uere,aut habitare eo loco constituit, quibus perpetuo bello excitaturis, obuiam ire oportebat Iustinianum Cæsarem,munitionésque moliri innumeras, ac militum non dicendas copias obiicere,ac præsidia constituere, & reliqua omnia quæ hostibus essent impedimento,nec ab his tamen possent occupari.Sed ad residuũ historiæ ꝑgrediamur.nam quũ sit opus inchoatum, quoquomodò imponenda est summa manus magis,q̃ retrò abeundum,opúsque imperfectum deserendum. At quum sumus de Europeis ædificiis huius Cæsaris, eorúmque numero dicturi,pauca quædam de ea regione præfari oportebat.Ex Adriatico,vt vocant,mari influxus quidá à reliquo mari se subducés,ad Epirũ peruenit,diuidénsque terrá magna ex parte efficit sinum Ionicũ, à dextra quidem Epirotas,illásque gentes:à sinistra verò Calabros habens. At ex superioribus locis descendit Danubius fluuius fronte ad mare obuersa. hîc ędificia multa eximiáque Imperator condidit. Vniuersam enim Europam muro muniens, Barbaris gentibus quę Danubium accolunt,aditum interclusit.Sed ab ipsa mihi Imperatoris patria inchoandum est . Hæc enim sola honoribus ac deliriis digna est,quæ talem Romanis Imperatorem aluit,atque exhibuit,cuius opera nec verbis explicari, nec scriptis pro dignitate celebrari posśint.Apud Dardanos Europæos, qui post Epidamniorum fines incolunt,

colunt,locus eſt nomine Tauresium.ibi Iuſtinianus Imperator beneficentiſsimus, amórque orbis vniuerſi,exortus eſt. Hunc igitͤ locũ breuiſsimo tẽpore quadrato muro circũdedit, ac ſingulis illius angulis turrim impoſuit,effecitq́;,vt et vocaretͤ & eſſet τετραπυργία,hoc eſt,ędificiũ quatuor turribus abſolutum. Ac proximè apud eum locum vrbem celeberrimam ædificauit, quam Iuſtinianam vocauit primam,latina nimirùm voce. Hanc ille ſanè mercedem educationis reddidit educatrici patriæ. Illic etiam aquæductum fabricauit,effecitq́; vt vrbs aquarum copia abundaret.Multa etiam fecit alia hic vrbis conditor,opera eximia : diuina quidem templa enumerare difficile eſt : diuerſoria verò magiſtratuum verbis depingere arduum:porticuum amplitudinem,iudicialium rerum fora ornatiſsima, fontes,angiportus, balnea, venaliúmque rerum fora. Vrbs eſt,vt ſummatim dicam,ampliſſima,multisq́; ciuibus habitata, quæ poſsit vniuerſæ regionis eſſe metropolis. Sed Illyricorum archiepiſcopo in ſortem ceſsit:cæteris tamen vrbibus ipſi, quòd amplitudine prima ſit,cedentibus; quaſi & ipſi pro officio referat decus & ornamentum . Ipſa enim tanquàm ab alumno Cæſare veneratiōe accipit: ipſe verò mutua certat beneuolentia ad vrbem ædificiis exornandam . Et hactenus dixiſſe mihi ſat fuerit. Omnia enim exactiùs ac minutiùs pſequi, impoſsibile

bile est. Nam quum vrbs illi talis sit, vt talem deceat Imperatorem, necesse est omnem sermonem ac laudem ea esse inferiorem. Erat autem quódam apud Dardanos ciuitas quę Vlpiana vocabať. Cuius vallum diruit (erat enim prorsus inutile) eámq; restituit, vt nunc est, ornatam, ac secúdam Iustinianá appellauit, voce itidem latina. Et alteram in loco ꝓpinquo vrbem extruxit, quo loco anteà nulla fuisset, quam Iustinopolim auunculo cognominem vocauit. Sed & Sardices & Næsopoleos ac Garmaës & Pantaliæ muros vetustate collapsos inueniẽs, ad securitatem vrbium refecit, hostibúsque inaccessas præstitit: & oppidula intereà ex ipsis restituit fundamentis, volénsque munimentum fortissimum his ipsis ac vniuersæ Europæ facere fluuiú ipsum Danubium, munitionibus frequẽtissimis ripam fluminis communiuit, custodiásque militum omnibus locis in ripa collocauit, ne Barbari in agros nulla custodia septos irruerent, hominésq; simul vniuersos in captiuitatem abducerent, résque secum omnes asportarent. Erat ibi vrbs quędam vetusta, aquis sat abundans. Idq; ipsius vrbis vocabulum secundum loci naturam significabat. Euroea enim græcè, hoc est, pulcher seu bene fluens, iá olim nominabatur. Ab hac autem vrbe Euroea, non admodùm longè stagnum quoddam longè latéq; diffunditur, in medio habens insulá, in qua colliculus consurgit. Huc

igitur

igitur Imperator Euroeæ vrbis habitatores transtulit, vrbem ibi munitissimam ædificauit, muróq; cinxit. At post Epirum totam Aetolos & Acarnanas, Crissæum sinum, Isthmum ac Corinthum, cæteráque Græciæ loca prouidentia Cęsaris est cō plexa. Ideóque ne quis ex hominum genere mecū contendat, nouerit Iustinianum Cęsarem prouidentissimum fuisse, & eximia quadam prędirum diligentia, cui neque mare vicinum scopulis, neque circunfusum & inundans, impedimento esse potuerit, quin in ipsis maris fluctibus, arenáque humida, iácere potuerit fundamenta: & res inter sese maximopere aduersas, scitissimè copulare, hominésque arte pellicere, & vi subactis persuadere. Non enim syluas aut saltus inter se cōiunxit, neq; mare mōtibus immisit hic Imperator: sed vniuersam Græciā munitionibus cingens, cessare fecit aduersariorum studia ad nocendum. Sed & præsidia multa inter muros fabricauit, hominum fortunam apud sese reputans, cui nihil firmum aut inexpugnabile obiici potest, vt si quoquo modo muros aut tempore capi cō tigisset, in præsidiis illis custodię militares seruarentur. Et quidem horrea tutis in locis, & aquarum cisternas vbique extruxit, militésque præsidiarios collocauit. Sic equidem Iustinianus Græciæ munitiones reddidit firmiores. In Heraclea ea fecit, quæ sequuntur. Ex Illyrico in Gręciā pergenti, mōtes duo è lon-

è longinquo inter ſeſe proximè coëunt, anguſtam reddentes mediam regionem. Fons verò in medio delabitur, æſtiuo quidem tempore ſerenam atq; potabilem aquam ſubminiſtrás, quę à montibus vtrinque vicinis in riuulum exiguum cogitur. Poſteaquàm pluere cœperit Arcturus, fit illic vorticoſa ac mirum in modum aſſurgit, ferocitérque ſcopulis illiditur ab ipſis cauernis fiſſuriſque terrę, fluxu retorto. At in vtroque latere anguſtiarum conſtituta fuit olim munitio: ab hac quidem parte Heraclea vrbs cuius paulò antè memini: ab altera parte Myropolon longo inter ſeſe ſpacio diſtantes. Vtrâque munitionem iam olim ruinę obnoxã, Iuſtinianus Imperator reędificauit, & ppetuo muro munitiſsimóque anguſtias cõcluſit, vt hoſtibus Barbaris nullus pateret aditus. Vrbes autem Gręciæ vniuerſas, quę quidem ſunt intra Thermopylarum muros cõſtitutę, firmas ad vim perferendam fecit, mœnia renouans vniuerſa. Nam multo iam tempore ruinam minabantur. Corinthi quidem cùm terręmotus ingentes eueniſſent, Athenis autem & Platęis, lociſq; Bœotię muri temporis diuturnitate fatiſcebant. Nihil autem hoſtibus ad oppugnandum oportunum aut incuſtoditum reliquit. Quandoquidem ipſe vigilantiſsimus pro ſalute ſubditorum exiſtimabat Barbaros quum audiſſent crederéntque Gręciam vndique muris propugnaculiſq; munitam, ipſiſq;

ſingulas vrbes eſſe obſidendas ac oppugnandas, in uadendi prauam cupiditatem eſſe depoſituros. Expectatio enim in longum prorogata laborem non perfert, nec ſi adnitatur, vtilitatem aſſequitur, ſed ablegat fortunam alioqui venturam, ſua tarditate atque ſocordia. Quibus cùm ſupremam manum addidiſſet Iuſtinianus, ac Peloponeſi vrbes vniuerſas intellexiſſet muris non eſſe cinctas, apud ſeſe cogitans quod plurimùm temporis tereretur, ſi ad earum vnamquanque curam adieciſſet, ipſum maris ſinum vniuerſum tutò muniit, præſidiáque illic ædificauit, cuſtodiáſque conſtituit. Sed illa hoc quidem pacto proceſſerunt. Erat vrbs quædam in Theſſalia, cui nomen erat Diacletianopoli, à Barbaris diruta atque habitatoribus longiſsimo iam tempore vacua. Stagnum verò quoddam non longè ab hac diſsitum erat, & inſula in ſtagni meditullio, aquis circũflua. Cæſar itaque contempto loco quo fuerat Diocletianopolis conſtituta, quòd facilè poſſent hoſtes aggredi, vrbem in inſula munitiſsimam ędificauit, nomẽque (vt par erat) vetus reliquit vrbi. Præter hæc Echini, Thebarum, Pharſali, ac aliarum vrbium maritimarum mœnia renouans, tutiora ea loca reddidit. Sed quum ad Theſſaliam peruenerimus, agè ad montem Pelion & Penæum flumen pergamus: fluit enim ex monte Pelio mitiſsimo fluxu Penæus, à quo miram mutuatur iucunditatem Lariſſa, quæ

lunt, Romanámque ditionem quę ad dexteram ꝓtenditur. Vrbem igitur iuxta ripam iste Iustinianus condidit, munitionéque fortissima circundedit, dignum quæ hominum sermone celebretur. Castellúmque eximiè munitum nouum constituit, distans ab hac vrbe octo passuū milibus. Ante qđ vrbs erat antiqua, nomine Biminacion, quam Imperator reædificans, nouam effecit. At è regione multa alia castella à fundamentis condidit, & oppidulum itidē vetustum nomine Zanes: à quo sanè non in lōginquo castellum est, nomine Pontes: fluuius autem de fluxu quodam illuc emisso, castellúmque circumābiens, & partem ripæ non admodùm magnam, rursus ad alueum proprium redit: facit autem hoc non casu, sed hominum prouidentia adactus. Cuius autem rei causæ Pons seu Pontes vocetur is locus, & quur vi compulsum eo circunducant Istrum, quem & Danubium vocant, iam sum declaraturus. Imperator Romanorum Traianus quum magnanimus esset ac strennuus, iracundo similis videbatur, quòd imperium certis limitibus, vtpote Danubio, finiretur: igitur magno studio contendit Danubii ripas vt ponte copularet, vt sibi transitu facilis esset, nec quicq̄ esset impedimēto aduersus Barbaros mouēti. Quo verò pacto pontem illic fixerit, ac firmarit, mihi non erit hoc loco seriò referendum. Apollodorus autem Damascenus qui fuit vniuersi operis

architectus hoc ipſum referat. Nam poſteà nullam Romani vtilitatem ſunt ex ea re conſecuti: Sed pōtem ipſum Danubius poſteriori tempore ſuperinundans, & temporis longitudo diruerunt. Fecit autem tum Traianus caſtella duo ad vtranque fluminis ripam, & hoc quidem Theodoram vocauerūt, quod erat in continenti è regione. Pontes verò, caſtellum quod in Dacia erat, vocabatur, erátque nomen rei congruens. Nam quod Grȩci γέφυραμ, id Romani latina voce pontem vocant. Sed poſteaquàm ibi nauibus flumen ſulcari non potuit (pontis enim ſuſtentacula ibi erant defixa) hac de cauſa flumen coëgerunt mutare curſum proprium, atque in orbē reuerti, vt ipſum illic poſſent nauigare. Vtrunque igitur caſtellum ſic elaboratum temporis curriculo Barbarorúmque incurſione deperiit. Iuſtinianus autem Imperator Pontem quidem caſtellum ſcilicet quod erat in dextra fluminis ripa, inexpugnabili renouans ædificio, ſecuritatem Illyriis conſeruauit. Illud autem quod in altera erat ripa, quódque Theodoram vocant, Barbaris ea parte habitantibus ſubiectum, nulla cura dignatus eſt. At munitiones omnes quæ iuxta Pontem ſunt, ȩdificauit, ac renouauit ipſe, aliáque multa quæ non poſſunt, vt dixi, verbis explicari. Illyricorum igitur munitiones iuxta Danubium hoc pacto ſe habēt. Ad Thraciā nunc nobis pergendum eſt, vt munitiones quotquot ibidem

endum eſt, quandoquidem ab Athenis & Maratho ne parùm abeſt. Eubœa igitur inſula ad mare obuerſa iacet in conſpectu Græciæ: videtur autem à Grecia fuiſſe deducta, quaſi vna fuerit olim terra, ac poſteà ſit freto dirempta. Effringit enim illic continentem ac ſeparat maris influxus, circa vrbẽ Chalcidem, & fit inſula à continente precisa. Euripus autem fretum illud appellatur. Talis igitur eſt Eubœa. At vna trabes ſeu tignum vnum coniungit inſulam continenti, quam apponunt incolæ ſiquidem voluerint: atque eo pacto habitatores continentis eſſe videntur, & in terram quæ obuia iacet, pedites abeunt. Auferentes aũt eã trabem ſeu tignum. ſcaphis piſcatoriis rurſus ſinũ efficiunt nauigabilem, iterúmque fiunt inſulani, vniúſq; ligni iniectione ac ſublatione, pedibus iter nauibúſq; conficiunt. Hanc Eubœam Iuſtinianus Imperator curauit vt inexpugnabilem efficeret. Fluit autem fluuius non longè à Theſſalonica Rechius nomine, qui regionem bonitate terræ preſtantem circumiens, in mare quod illic eſt, defluit. Lenis & manſuetus eſt fluuius: ſerena potabiliſq; eſt aqua: terra plana & humilis, aromata ibi multa: palus paſcendis pecoribus apta, & hac quidẽ in parte regio ſatis eſt felix. Atqui metu conficitur, quòd Barbaris ad incurſiones faciendas, regio ſit patula. Ideóque Iuſtinianus iuxta Rechii fluminis oſtia mariſq; littus, caſtellũ ædificauit mu-

dem iuxta littus ab Imperatore Iustiniano sunt con stitutæ, exequamur. Primùm igitur ad Mysos ibi degẽtes abeamus, quos ἀγχιμάχους, id est, eminus pugnantes, poëtę vocitant, quandoquidem hi regionẽ Illyriis vicinam possident. Post regionẽ igitur quã Burgum vocant, Securiscam castellum ædificauit Iustinianus, idq́ꝫ nouum fecit. Deinde quæ erant in Centodemo laborantia vetustate, renouauit, ac post hæc vrbem nouam ędificauit, quam ab vxoris nomine, Theodoropolim nominauit. Etiam castel lum Centon ædificauit. Post quod erat munitio, quam τρισμακαρίαν, id est, ter beatam vocant. E regione, cuius in aduersa cõtinẽte aliqñ Cõstãtinus Ro manorũ Impator castellũ cura dignũ extruxit, Daphnen nomine, nõ inutile, arbitratus obseruare illic flumẽ ex vtraqꝫ ripa, qđ tẽpore ꝓcedẽte Barbari to tum erant demoliti. Iustinianus autem à fundamen tis totum restituit. Sunt autem treis ad Danubii ri pam munitiones, quarum singulas magna adhibita cura restaurauit. Sic Mysorum munitiones apud Danubium vicináqꝫ loca tenuit. Ad Scythas quod reliquum est progredior, ibi castellum primum Beati Cyrilli cognomine est, cuius summa diligentia muros renouauit: ibidem etiã munitiones â fundamentis construxit, liberas ab incursu Sclauenorum insidiisq́ꝫ regiones pręstitit. Est autem iuxta illud Ibeda ciuitas, circa cuius muros quos renouauit, mul

tùm

tùm laboris insumpsit, fecitq; nulla non cura muni tißimam. Castellum quoq; nouum ædificauit post eam vrbem, quod Aegistum dicitur. Quæ apud Dardanos & Epirotas ac Macedones aliásque gentes Illyricas atque etiam quæ in ipsa Græcia, & iuxta Danubiũ ædificarit, iam anteà sunt à me enarrata. Ad Thraciam deinde veniamus, optimum quoddam iacientes sermonis fundamentum. Ex locis Bizantio vicinis, quandoquidem ea vrbs reliqua Thracia non viribus solùm, verumetiam naturâ regionis præstantior est, quæ Europæ veluti arx quædam supereminens, obicē pōnit Asiæ, à qua freto dirimit. Iam verò cæteras eius vrbis structuras, quæq; in templis intus & foris apud Constantinopolim elaborarit, prioribus libris declaraui. Hinc igitur reliqua sum inchoaturus. Castellum est in suburbio, quod στρογγύλον, id est, turbinatum seu rotundum vocant, nomine sanè cum re ipsa congruente. Illinc iter est quod Region deducit, quod maxima ex parte asperũ est ac minimè planum, pluuiis fortè decidentibus cœnosum atq; infestum transeũtibus. Nunc autem ingentibus saxis eam viam constrauit Imperator iste, facilémque & planam reddidit. Longitudo eius viæ est ad ipsum vsque Regium. Lata est quantum duobus curribus ex aduerso venientibus satis est. Lapides illi sunt admodùm asperi, ac mira quadam concinnitate expolliti. vi-

 dentur

dentur enim non humana diligentia, sed naturâ coagmentati. Hæc sanè talia sunt. Est autem lacus quidam iuxta Regium, in quem defluunt fluuii ex superioribus locis delapsi. effunditur autem is lacus in mare, vt idem sit vtrisque littus in angusto cõstitutum, vt & μύρμηξ, id est, formica nominetur. Hic autem sinus maris, qui mare stagnúmque coniungit, vt prędixi, quondam ligneo pőte poterat transmitti, periculo quidem eorum, qui istac transibant, quandoquidem tigna vetustate putrescebant. Nunc eundem Iustinianus lapidibus ordine constructis, atque in arcum sublimem formatis, magno accolarum commodo, lapideum, ac periculo carentem perfecit. Iuxta Regium est vrbs, nomine Athyras, cuius habitatores quũ siti grauissima laborare comperisset, hanc illis curam ademit, cisternâ ad aquam recipiendam atque seruandam illic ædificata. Reædificauit etiam quæ ibi erant in mœnibus labefactata. Est autem post Athyram quidam locus, quem Episcopia vocant accolæ: quem quum intelligeret Imperator Iustinianus incursibus hostium esse obnoxium quòd nullam haberet munitionem, castellum ibi ædificauit, fecitque turres non vt assolet, sed hoc pacto. Extat ex ipsis mœnibus ædificium quoddam in fronte angustissimum, sed exit in magnam latitudinem, in qua turris duplex consurgit. Hac igitur parte hostibus propius ad mu

m rum

rum accedere non licet. Nam si ad locum inter tur res medium, procedant ex vtraque parte iaculis eorum, qui sunt in præsidiis à fronte opprimũtur. Portásque illic non pro aliorum operum consuetudine in medio struxerunt, sed ex obliquo respicientes partem illam ædificii angustam: sic vt ab hostibus videri non possent, sed retrò laterẽt. Ibi Theodorus Imperatori suum officium est impertitus, Silentiarius quidem ille magnoq; præditus ingenio: hæc igitur munitio eo loco est facta. Ad muros autem lõgos illinc pergẽtibus, quædam præfari licebit. Mare ex oceano atque Hispania terram Europæam ad sinistram constituit, ad ipsam vsque Thraciam, deinde discedit versus orientem, vbi diuisum, hac quidem parte ad plagam orbis orientalem procedit, alterâ paululum recuruatum, Euxinum, vt vocatur, pontum efficit. Ad Byzãtium verò veniens, veluti ad repagulum quoddam, reflectit circa orientalem, vrbis partem cursum, factúmque longè obliquius in sinum abit: Isthmum Thraciæ antorsum retrorsũq; conficiens. Non quòd ibi mare in duos diuidatur fluxus, quemadmodùm in cæteris Isthmis consueuit, sed mirabili modo versum seu retortum, vtpote quod reliquam Thraciam vtraque parte circũdet, sed præsertim ipsa Byzantii suburbia. Aedificant autem atq; constituunt illic homines loca sub urbana, non ad vsũ dũtaxat ac necessitatem, sed ad

luxum

luxum atque delicias, quæ terminum nullum habent:& omnia quæ diuitiarum exuberantia, apud homines diuersata, comminiscitur. Suppellectilem multam eò conferunt, atque in his indefesso studio parandis elaborant. Quum igitur acciderit, vt hostes aliqui Romanorum terram repentino incursu inuaserint, non itidem vt in cæteris regionibus, dãnum accipitur, sed malis ingentibus onerantur ea loca. Cui rei obstaculum Anastasius Imperator magno studio paraturus, in locis quæ sunt intra quadragesimum à Byzantio lapidem, longum ædificacauit murum, vtrinq; maris littus cingens. Cuius fines inter se distarent itinere duorum dierum: atque ita existimabat omnia quæ hoc muro continerentur, in tuto esse collocata. Sed fuit hocipsum posteà maiorum causa malorum. Nec enim poterat tanta ædificii magnitudo aut ad præstãdam securitatem perfici, aut satis diligenter præsidiis muniri. Posteaquàm autem fato quodam hos longos muros hostes occupassent, præsidiariósque milites omneis nullo labore subegissent, cæterísque inopinatò superuenissent, ingentia mala ædiderunt. Sed Imperator collapsas muri partes restituit, & quæ minùs tuta fuerant, munitionibus roborauit, ac seruandorum præsidiorum causà huiusmodi rem est commentus. Exitus turrium singularum, qui in continẽtem ducunt, obstruxit vniuersos: ad ascensum apud

quamlibet fabricauit, vnicũ ex ipso solo: quem tem pore opportuno occludere possét milites præsidiarii, hostésque ita contenere, etiam si porrò intra murum venissent. Quandoquidem turris quæque ad tutelam præsidiariis satis esset. Hos muros assiduo studio perfecit, cæteráque opera quæ paulò antè sũt à me narrata. Ad vrbis partem meridionalem quod erat vetustate fatiscens, renouauit. Longum igitur murum Iustinianus Imperator sic absoluit. Heraclæa verò vrbs illa maritima, illa ciuibus vicinisq; abundans, olim Perinthus vocata (cui quondam Europæ primatum tribuebant: nunc autem post Constantinopolim secũdas tribuunt) siticulosa, mirúmque in modum squalida, in propinquo sita erat. Non quòd regio illi obiacens careat aquis, nec quòd eam rem veteres neglexerunt, qui vrbem primi ædificarunt, quandoquidem Europa fontibus scatet, & soleant quondã homines etiam extruere aquæductus. Sed tempus pro sua faciẽs consuetudine, vrbi aquæductum abstulit, ac corrupit, vel contempta ædificii vetustate, vel quòd ipsum Heraclæotæ neglexissent, vt parum abesset, quin eam ob rem vrbs dèserta relinqueretur. Idem circa domum Augustam, quæ ibidem longè spectatissima fuerat, tempus præstitit. At Imperator Iustinianus eandem vrbem non perfunctoriè, sed regaliter aspiciens, aquis eam potabilibus iucundísque irrigauit,
ac

ac Augustæ domus dignitate carere minimè passus est,omnia reædificans. Ab Heraclea itinere diei ab est locus maritimus,nomine Rhædestus,ad nauigãdum Hellespontum,egregium situm habens,littúsque ad maritimas negociationes maximè idoneũ, vbi nauigãtes onerare atque exonerare commodissimè possint,faciléque recurrere nauibus, vel onere iusto vel saburra oneratis. Barbaris autem obnoxius,qui in eum locum fortè derepente incursiones faciunt,quòd neque opere munitus, neq; naturâ sit ad adeundum difficilis, vt negociatoribus ob periculi metum contemptui sit ac neglectui. Nunc autẽ Iustinianus Imperator non modò ipsi loco tutelam parauit,sed vicinos vniuersos seruauit. Nã Rhædestum in vrbem erexit,muro muniit,magnitudine sanè eximia,quò vicinæ gentes in metu Barbarorum imminentium,cum suis opibus confugientes,extra metum essent. Hæc igitur in Rhædesto Iustinianus sic est executus. Quæ verò ille in Cherroneso elaborarit,aperiam. Prætenditur autem Cherronesus vniuersæ istic collocatæ Thraciẹ. Nam in ipsum mare progrediens Cherronesus,ac porrò in anteriora tendens,expectationem de se præbet,quasi sit in Asiam concessura: littus autem eius iuxta vrbem Eleunta vnum prætenditur, ac in duas partes mare diuidit,ipsúmq; fluctibus abscissum à reliqua Epiro ademit, propiùs mari discedit, ac nigrum, vt

vocatur, sinum efficit, ac parum admodùm abest, quin fiat insula, noménque sortita sit rei congruẽs. χερσόνησος enim, vt par est, vocitatur, quasi dicas, terra fermè vndique mari cincta, sed Isthmio breui ꝓhibita, ne prorsus insula sit. Hoc loco homines quõdam Isthmum neglectim, minúsque circunspectè muro quodam munierunt, sed quæ scala superari posset & capi. Nam ortulum fortè quendam illic situm, sepibus se munire putabant. Exilem quidẽ murum & humilem fecerunt: ad alteram verò partem maris propugnaculum breue ac vile obiecerunt, qđ appellarũnt μώλους. In medio sitam regionem inter propugnaculum ac maris fluxum obstruxerunt, nõ quòd insidiaturos illinc essent depulsuri, sed ad introitum potiùs inuitaturi. Tam enim contemptui munitio illa esse poterat, ac vim intentantibus, periculúmque facientibus captu facilis. Igitur hostes inuadẽtes Thraciæ regiones, nacti sunt: veluti periculũ facturi, littoralem illũ introitũ: præsidiariis militibus illic cõstitutis, terrorẽ incutiẽtes occuparũt, veluti ludum quempiam ludentes, atque intrarunt munitionem exiguo labore. Multa igitur considerans, ac perpendens pro salute incolarum Iustinianus effecit, quæ sequuntur. Primò quidem veterem murum sustulit, vt ne vestigium quidem eius remaneret. Alterum verò continuò in eadem regione cõstituit, qui iusta crassitudine altitudinem quoque tu

cretur

eretur, ac super propugnacula tholus quidam in forma porticus fastigium efficit, quo teguntur hi, qui murum defendunt. Aliáque in ipso tholo propugnacula constituta, eos qui murum oppugnare voluerint, duplici bello inuoluunt. Sed & fossam quæ extra munitionem erat, opere continuo effodiens, latam fecit ac profundam. Quibus hoc modo firmatis ac in tuto collocatis, nihilominùs his munitionibus quæ intùs erant, alias munitiones adiecit, vt si quid longis muris (quod abominor) accidisset, ęquè tñ Cherronesi incolę in tuto essent. Vrbē enim Aphrodisiadem vallo munitissimo circūdedit, maiore ex parte anteà muris carentem. At Ciberim vrbem in solo plano sitam muniit, ac fecit vt habitaretur, in qua & xenodochia seu hospitalia, ac balneas ædificauit, plurimásque domos, & alia quæ illustrē possint vrbem efficere. Sed & Callipolim vrbē firmissimè muniit, fiducia longi muri priscis hominibus, relictam absque mœnibus: quo loco & horrea, & οἰνῶνας, hoc est, publica vini cellaria ędificauit. Est autem ex aduerso Abydi vrbs antiqua, nomine Sestos, quæ itidem perfunctoriè superiori tempore fundata erat. Collis autem eidem præruptus imminet, vbi castellum ædificauit difficile aditu, ac prorsus inexpugnabile. At non procul à Sesto vrbs est quam Eleunta vocant, petra verò à mari auulsa, illic hæret: quæ admodùm excelsa, ac in cœlum con

surgens

ſurgens,muri cuiuſdam vicem exhibet.Caſtellum igitur etiam eo loco conſtituit,infeſtum ac prorſus inacceſſũ hoſtiliter adeuntibus.Sed & in Theſco caſtellum ad alterarũ partem longi muri conſtituit, fortiſsimóque muro ædificauit, eóque pacto Cherroneſi incolas omni ex parte ſecuros reddidit. Poſt Cherroneſum vrbs eſt ſita, quæ à fundatore nomẽ eſt conſequuta. Aeneas enim erat, vt ferunt, Anchiſæ filius. Cuius mœnia erant captu facilia, quòd humilia eſſent,atque apertum quendam introitum iuxta mare vicina haberet regio, quam influens mare aliquo modo contingebat. Sed Imperator Iuſtinianus vrbis mœnia fecit altiora,vt nonmodò capi, verũetiam tentari oppugnatione non poſſent. Nã omnì ex parte communitam vrbem eò perduxit, vt velut inexpugnabilis laudaretur. Atque eo modo hanc vrbem eſt tutatus.Remanſit autem Barbaris regio ad incurſiones faciendas obnoxia.quando quidem Rhodope iam olim parum fuerat munita. Erat autem vicus in terræ meditullio, Belluros nomine,diuitiarum abundantia,hominũmque multitudine non inferior multis vrbibus:qui cùm mœnibus nullis protegeretur , prædæ Barbarorum erat expoſitus.Et ex eo vico Imperator ciuitatem fecit, quam muro cinxit,dignam authore.Aliarum item vrbium in Rhodope munitiones,quę tempore erãt labefactatæ,ingenti ſtudio reſtituit. At Anaſtaſiopolis

polis,quæ illic est sita,fuit quidem ab initio muris cincta: sed cùm sit littoralis,ea parte incustoditum littus obtinet,nauésque sæpenumero ibidem appellentes,repentè ab Hunnis barbaris occupabant.Iustinianus autem Imperator muro circundedit plagam littoralem totam,nauibúsque & insulanis securitatem conseruauit.Est autem quædam in Rhodope vrbs antiqua,nomine Toperus,quæ tumulum sibi imminentem habet,admodùm rectum ,sub quo non multo priùs à Sclauinis barbaris capta est. Sed Imperator Iustinianus magnam altitudinem muro superaddidit,vt tanto nunc altior sit tumulo,quantum prius ad iustam altitudiné desiderabatur. Turrésque singulas munitis castellis pares effecit. Hæc igitur illic sunt à Iustiniano ædificata . Quotquot autem munitiones in reliqua fecerit Thracia , quæ nunc dicitur mons Hemi,sum explicaturus: primũ quidem Philippopoleos & Berrœæ,itidem Hadrianopoleos & Plutinopoleos,quæ refectione indigebant,ac vetustate fatiscebant,omni studio ædificauit.Castelláque innumera in vniuersa Thracia constituit,per quæ eam regionem ab omni metu liberauit.Verùm castella quorũ meminimus, hæc sunt in Europa,Lydicæ,Elææ.In Rhodope noua opera,Caseera,Theodoropolis:Et in Thraso,Sudanelanæ,Mandepa, Tharsandala,Denizus,Toparon, Dalasarba,Bre,Cucasbiri,Cusculis,Thraces, Bos-

para, Besyparon, Capituria, Beripara, Isgipera, Ozarba, Boryaros, Tamonbari, Scelenas, Carasyra, Pinson, Tuleus, Arxen, Castrozarba, Zositerpon, Bertison, Dingion, Sacisos, Cursazura, Pontamucastellan, Isdicæa, Emporium boum præcipuorum, Bolaodypara, Scitaces, Bepara, Plysenon, & cætera, quę certo numero colligi non possunt.

Finis libri quarti.

ANNOTATIONES THEODORICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in quartum librum Procopii *de ædificijs Iustiniani Cæsaris.*



Vnni & Gothi) Multas feras ac barbaras nationes, olim utranque Istri fluminis ripam tenuisse constat: uelu ti Erulos, Gepidas, Rugos, Antas, Sclauenos, Hunnos & Gothos. Quare Iustinianus Childibium uniuersæ Thraciæ præfectum, ad Istrum tuendum constituerat, ne Barbari in Romanum agrum irruptionē facere possint. Gothi uerò, quorum hic Procopius meminit, à Græcis Getæ appellati, & è Scandia olim insula, primæ originis sedibus profecti, ad Mæotim mouerunt: Inde à Scythis pulsi, pars duce Alarico ad occasum in Italiam & Galliam profecti, Visigothi. i. occidentales Gothi uocati sunt: Reliqui qui circa Pontum, Istrum & Tauricam hæserunt, Ostrogothi. i. orientales: quorum hic fit mentiò. Nam Taurus mons ab Eois littoribus exurgens, immensus ubique & innumerarum gentium semper arbiter fuit. Hunnos quoque Gothica origine fuisse Iornandes testatur: gens aliquando terra & mari potentissimà, quæ sui nominis fama, Italiam & Galliā impleuit & cōterruit. Hi Attila duce Galliam latè uastantes, prælio uicti, ad Istri fluenta retrocesserunt.

Sclaueni) Sclauos uel Sclauenos olim Illyricos & Dalmatas uocatos multi adserunt. Hos Procopius in libris de bello Gothorum, priùs in Illyricum irruisse, ac multa ædita strage ad proprias sedes remeasse scribit: postea maioribus uiribus aucti, traiecto Istro, Romani imperij loca occupantes, inter Illyricos constiterunt.

Sarmatis) Plin. lib. 4. Sauromatas (inquit) gentes Scytharum Græci uocant, quas Sarmatas Romani dicunt. Sarmatiam Ptolomæus in Europianam & Asiaticam est partitus: Europianam uariæ gentes incolebant, nomine à moribus imposito, inter quos Hamaxobij erant, à Pomponio Hamaxobitæ uocati: de quibus hic Procopius: ἀπὸ τῶν ἁμάξης τοῦ βίου nomen habentes: nam in plaustris uitam degebant. Hos iam corrupto uocabulo quidam Moscouitas uocari existimant, quorum ritus & uiuendi morem elegantissimè Paulus Iouius Nouocomensis descripsit.

Ex Adriatico) De hoc maris Adriatici recessu in sinum Ionicum E-

pirotarum Calabrorúmque situ, uide quæ Procopius luculenta breuitate perstrinxit lib. 1. de bello Gothorum.

Danubius) Stephanus, Δανούβιος, ἴστρος ὁ ποταμός, πάλαι ματόας καλούμενος .i. Danubius, Ister fluuius est, olim Matoas uocatus. Nam & Pomponius inquit, hunc per immania magnarum gentium diu Danubium, deinde aliter appellantibus accolis, Istrum uocari. Herodotus lib. 4. & Philostratus lib. 3. fluuiorum Europæ maximum uocant. Hic multis acceptis amnibus, in Pontum magno impetu & undarum copia, septem ostijs euoluitur: Vnde Celtes inquit:

Solus Germanas sed Ister deserit oras,
Septenis tandem qui faucibus exit in æquor.

Dardanos Europæos) Hi Dardani in Istria erant, non longè ab Epidamno oppido, quod iam Dyrrachium uocatur, à quo & Epidamniorum natio originem duxit (cuius hic quoque Procopius meminit) gens fera & agrestis, ut quæ sub fimo speluncas defossas incoleret, authore Strabone. inter Illyricas prouincias. Rufus & Dardaniam numerat, & Iustinianus in titulo de ecclesiasticis titulis. Procopius hos Europæos uocauit, propter Dardanios illos Asiaticos, à Iouis & Electræ filio Dardano uocatos, quibus Aeneam imperasse Homerus in catalogo est testis:

Δαρδανίων αὖτ' ἦρχεν ἐῢς πάϊς ἀγχίσαο. *id est,*
Dardanos agit Anchisæ pulcherrima proles.

Tauresium) Iustinianum principem obscuris natalibus ortum, uel hoc satis arguit, quòd de natali solo ne sui quidem temporis scriptores conueniant. Procopius hic, natum Tauresii, Agathias lib. 5. Bederine prodit, erat (inquit) Illyrica ciuitas, Bederina uetusto nomine dicta, deinde Iustiniana denominata, quia Iustinianus ibi primum in lucem æditus erat. Agathiæ sententiæ Iustinianus magis accedit in titulo de ecclesiasticis titulis, Iustinianæam uocās patriam suam. Vbi Holoander adductus gloss. c. scripsit 7. q. 1. Salonā Dalmatiæ urbē intelligit. Hāc Iustinianus archiepiscopatu exornauit: qui sub sua iurisdictione episcopos, prouinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, itē Præualitanæ, ac Dardaniæ, Mysiæ superioris, & Pannoniæ haberet. Sed quamobrem Procopius eam hoc loco dicat in Illyricorum archiepiscopi sortem cessisse, causam esse existimo, suo tempore hac honoris prærogatiua exornatam nondum fuisse.

Vlpiana) Hanc Illyricam urbem fuisse idem Procopius lib. 3. de bello Gothorum testatur. Iornandes tamen de rebus Geticis non urbem, sed
uillam

nullam Vlpianam uocat.

Iustinopolim)Iustinopolim,clarißimum oppidulum Istriæ,& suo tempore adhuc fuisse Vadianus *scribit, quam accolæ Capodistriam uocant, tanquam Istriæ caput.Hanc ad tuendam Istriam orámque Italiæ,contra Barbarorum incursiones multi conditam asserunt:non tamen à Iustiniano,sed à Iustino Iustiniani filio, quemadmodùm uetusta quædã inscriptio ibi testatur(teste* Volaterrano) *Verùm Procopius Iustinianum condidisse in patris sui adoptiui Iustini honorem,quem auunculum uocat, eiúsque nomen retulisse,scribit. Quare an de eadem loquantur multum ambigo.* Capodistria

Aetolos & Acarnanas)Procopius post Epirum Acarnanas & Aetolos ponit, Homerum & Strabonem secutus:qui lib.8. post Epiroticas gentes,ac Illyricas:Acarnanas,Aetolos & Locros collocat. Hos omnes in suscepta aduersus Ilium expeditione socios fuisse, satis Homerus in catalogo indicat:

οἵτ᾽ ἤπειρον ἔχον ἠδ᾽ ἀντιπέραιν ἐνέμοντο, *id est,*

Quiq; Epirum habent,contrariaq; arua colebant.

Acarnanas priùs Curetas uocatos Strabo commemorat, ἀπὸ τῆς κουρᾶς.*i.tonsura,quia frontem detonsam habebant,ne cæsaries ab hoste caperetur:posteà ob caput intonsum seruatum,Acarnanes uocati sunt.Quare Stephanus inquit* οἱ μὲν κειρόμενοι,κουρῆτες. οἱ δὲ ἀκειρόμενοι,ἀκαρνᾶνες καλοῦνται.*i.tonsi Curetes,intonsi uerò Acarnanes uocantur.*

Crissæum sinum)Hic sinus Parnaso Heliconiq; suppositus est,quem deinde Phocis & Bœotia,terráque Megarensis & Sicyonia & Corinthia cõplectitur:huic nomen dedit Crissa urbs Phocidis, quam Stephanus ἀπὸ κρίσσου φωκέως *appellatam scribit:multis in locis apud Procopium Chrysæus & Cresæus quoque hic sinus uocatur.*

Isthmum)Græci ἰσθμὸν,*terram inter maria angustam uocant,unde & huic loco cognomen accesßit,teste Pomponio.Nam Aegeum mare ab Ionio submouet,angusto tramite,Helladi Peloponeson annectens . Et Corinthiacus uocatur ad alterius qui in Thracia est,differentiam . Hic Isthmia in Neptuni honorẽ Corinthios celebrare solitos,Pausanias in Corinthiacis,& Strabo lib.8.testes sunt,quæ à Theseo instituta in laudem Neptuni fuisse ad æmulationem Herculis,qui olympia in honorem Iouis instituerat,Plutarchus in uita Thesei scribit.*

Corinthum) Hæc urbs clarißima fuit,totius Achaiæ metropolis, ob portuum commoditatem, à Thucydide totius Græciæ emporium uocata,

huc omnes Græciæ deliciæ conueniebant, tanquam ad locum animis effœminandis aptissimum. Proinde moribus multò corruptissimis fuit, à magna ilita licentiâ, quam mercatorum genus plerunque sibi uindicat. Quã obrem D. Paulus ad eos duas scripsit epistolas, timens ne à suscepta iam fide & Christi synceritate, citiùs quàm cæteri Græci alienarentur. De huius situ & appellationibus Stephanus, Κόρινθος *(inquit)* πόλις ἔσω τοῦ ἰσθμοῦ τῆς πελοποννήσου. ἐκαλεῖτο εὐρώπη. ἡ αὐτὴ ἐκαλεῖτο ἔφυρα ἀπὸ Ἐφύρου τῆς μύρμηκος τοῦ ἐπιμηθέως γυναικός. ἐκαλεῖτο δὲ ἀκροκόρινθος ἐσώπη, διὰ τὸ σίσυφον ἐντεῦθεν ἐπιδεῖν τὴν διὰ αἰγίνης ὑπὸ Διὸς ἁρπαγήν, εἶτα ἡλιόπολις, διὰ τὸ ξηρὰν εἶναι. *id est, Corinthus urbs est intra Isthmum Peloponesium, ut Hecatæus in Europa scribit. Hæc Ephyra uocabatur, ab Ephyro filio Myrmecis Epimethei uxoris, & Acrocorinthus specula queq; uocabatur, quòd hinc Sisyphus Iouem Aeginam rapientem uiderit. deinde Heliopolis ob solis siccitatem. Hanc tam insignem urbem L. Mũmius solo æquauit, cùm ob alia insolentiæ argumenta, tum quòd effusis sordibus Romanos legatos cõ maculasset. Cicero tamen aliam euersionis causam lib. 1. officiorũ adfert.*

Heraclea) Tres & uiginti urbes hoc nomine Stephanus fuisse refert, inter quas & hæc Thessaliæ commemoratur, olim quidem Trachis, sed à cõditore Hercule Heraclea est cognominata, teste Strabone, & Stephano. Huius & Homerus in catalogo meminit: ὅττε Τρηχῖν᾽ ἐνέμοντο, *id est, & qui Trachina colebant. Neque absimilia sunt his à Procopio narratis, quæ Strabo habet. Nã hæc loca ab asperitate (inquit) tum aquarum abundantia, redduntur ad incursandum difficilia, propter fauces quas præterlabuntur.*

Thermopylæ) Herodotus Thermopylas dictas esse inquit, ὅτι ἐστὶν ἐν τῇ ἐσόδῳ ταύτῃ θερμὰ λουτρά. *i. quòd in harum ingressu sint calida lauacra. Strabo quoque lib. 9. inquit ipsum transitum Pylas. i. portus & angustias uocitatũ, atq; Thermopylas: nam ibi propè* θερμαί. *i. calidæ aquæ magno in honore sunt, uti Herculi cõsecratæ. De harũ fonte hic Procopium dicere existimo. Hoc Thermopylarum iugum ita mediam dirimit Græciam, sicut Apennini dorso Italia diuiditur. Hic fuit Græcorũ cum Xerxe memorabilis illa pugna, de qua Iustin. lib. 2.*

Terræmotus) Hic terræmotus ingens fuit, qui Bœotiam omnem, & Achaiam cæteraque circa sinum Crissæum concusserit, loca insuper alia infinita, octonásque ciuitates ad solum prostrarit. De hoc uide copiosiùs

Procopi-

Procopium lib. de bello Gothorum tertio

Athenis) Augustißimum omnis excultioris sapientiæ sacrarium Athenas uocare non hæreo. nam huic soli philosophiam uniuersam, legum tabulas, & omnem rectam politiam debemus. Hanc Plutarchus à Theseo, Iustinus uerò ab Amphytrione, origmem & nomen sumpsisse referunt. sed Stephanus Characem citans, Plutarchi magis quàm Iustini opinioni accedit: Eãdem urbem & Homeri tempore illustrem fuisse cõstat, οἳ δ᾽ ἄρ᾽ ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον, id est, Insignémque urbem muris habitabat Athenas.

Huius urbis præclara gesta Aristides nobili encomio celebrauit.

Platæis) Stephanus πλαταιοί (alij tamen πλαταιαί) πόλις βοιωτίας ὅμηρος ἑνικῶς, οἳ πλάταιαν ἔχον. i. Platææ urbs Bœotiæ, Homerus in singulari inquit, qui Platæan incolebant. Strabo lib. 9. à remorum latitudine appellatam, & Platæenses remigationis quæstu uictitantes scribit. Pausanias uerò in Bœoticis aliter sentit. οἱ δὲ πλαταιεῖς, inquit, τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐμοὶ δοκεῖν, εἰσὶν αὐτόχθονες. ὄνομα δὲ φάσιν ἀπὸ πλαταίας, ἣν θυγατέρα εἶναι τοῦ ποταμοῦ νομίζουσι. i. Platæenses ab initio mihi uidentur fuisse indigenæ, nomenque à Platæa trahunt, quam Potami filiam fuisse putant.

Bœotia) Bœotia nõ Boëtia legendũ Græca lectio satis declarat. hãc latißimè Strab lib. 9, describit, & Pausanias insignis scriptor in Bœoticis.

Thessalia) Steph. θεσσαλία ἀπὸ θεσσαλοῦ, ἡ πρότερον πελασγία. i. Thessalia à Thessalo nomen habet, quæ prius Pelasgia uocabatur. Hic Thessalus Hemonis erat filius, teste Stra. unde et Hemonia, quẽadmodũ priore seculo Pyrrhæa, à Pyrrha Deucalionis uxore est nominata. In hac quatuor & triginta montes esse, & omnes theatrali modo inflexos, lib. 4. Plin. scribit. Diocletianopolis in Thessalia urbs fuit, παλίεθρον quondam appellata (ut multi asserunt) quam suo nomine posteà Diocletianus decorauit.

Echinæi) Ptolomæus hanc urbem in ora Thessaliæ collocat, Stephanus uerò in Acarnania esse scribit, uterque tamen non Echinæum, sed Echinum uocat.

Thebarum) Hoc nomine plurimas urbes extitisse, Stephanus est author, inter quas & ea refertur, quæ in Thessalia erat Phthiotica: de qua Procopius.

Pharsali) Stephanus, φάρσαλος πόλις θεσσαλίας ἀπὸ φαρσάλου

λου τῶ ἀκρισίου.i. Pharsalus urbs est Thessaliæ, à Pharsalo Acrisii filio uocata. iuxta hanc campi erant Pharsalici, ciuili Romanorum bello, posteritati damnati.

Pelius & Peneus) Pelius mons Thessaliæ ad ortum uergens, ex quo Peneus erumpit, inter Ossam & Olympum nemorosa ualle defluens. In eo cursu Tempe uocantur, ubi labitur Peneus undis lucidis amœnus, uiridante riparum gramine. Qui regum cura montes aliquando permensi sunt, hunc omnium altissimum prodiderunt. Hinc Ouidius lib. Fastor. I. Summáque Peliacus sydera tangit apex.

Larissa) Steph. λάρισσα πόλις ἐςὶ τῆς θεσσαλίας, ἡ πρὸς τῷ πηνειῷ, ἣν ἀκρίσιος ἔκτισε. i. Larissa urbs tertia Thessaliæ, apud Peneum, quam Acrisius condidit. Fuit & alia Troadis, quam Homerus ἐριβώλακα. i. fertilem uocat.

Phthia) Steph. φθία πόλις καὶ μοῖρα θετταλίας. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ φθίου γυναικὸς, ἢ φθίου ποσειδῶνος, καὶ λαρίσσης. i. Phthia urbs & pars est Thessaliæ, à Phthij uxore, aut Phthio, Posidonis & Larissæ filio sic dicta. Steph. corripit Parmeniscum, qui Thessaliæ regionem & non urbem quoque esse dixit. De regione Phthia Homerus in catalogo sic inquit, οἵ τε τρηχῖν' ἐνέμοντο,
οἵ τ' εἶχον φθίην ἠδ' ἑλλάδα καλλιγύναικα
Et qui Trachina colebant,
Et Phthiam & Græciam, speciosis matribus oram.
A Strabone & Pomponio regio Phthiotis & urbs Phthia uocatur.

Centaurorum & Lapitharum pugna) Thessali montem Pelium incolentes, agrestes & duri, omnisq; laboris patientissimi erant, quibus & prima equitandi palma fuit tributa. Vnde poëtæ suas de Centauris fabulas commenti sunt. Hi cum Lapithis in Perithoi nuptijs dimicasse feruntur. cuius pugnæ Pausanias in Atticis meminit, γέγραπται δὲ (inquit) ἐν τῷ τοῦ θησέως ἱερῷ καὶ ἡ κενταύρων καὶ ἡ λαπιθῶν μάχη. i. depicta est in Thesei delubro, & Centaurorum & Lapitharum pugna. In monte Cētaurorum, Helenam ab Hercule conditam: & deinde ob nobile eo in loco pratum, Limenam uocatam, literis proditum est: quam hic Centauropolim uocari, non dubito. nam & in monte constitisse testatur Procop.

Eubœam) Hæc Bœotiæ auulsa, intermedio Euripo adeò modico, ut ponte iungatur, quare non dubium est continenti aliquando cohæsisse,

teste

teste Procopio. De hac copiosius Pompo. & Plin. lege. olim Abantis uocata est. Quare poëta cùm in huius insulæ mentionem uenit, nunquàm Eubœenses, semper autem Abantes uocat. Homerus in catalogo:

οἳ δ᾽ εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες ἄβαντες, id est,

Eubœamq; colunt spirantes robur Abantes.

Hodie Nigropontus uocatur, quam Turca cepit, anno 1470. eo die q Paulus secundus Pontifex apud Basilicã Lateranensem Romæ pro ea liberanda, supplicationes cum senatu populóque Romano habuit.

Marathone) Hic est ille Marathon magnarum multarúmque uirtutum testis (authore Pomponio) iam inde à Theseo, Persarum magnã clade pernotus. De qua apud Iustin. lib. 2.

Chalcidem) Stephanus, χαλκὶς πόλις ἐστὶν, ἣ πρότερον εὔβοια προσηγορεύθη. i. Chalcis urbs est Eubœa prius cognominata. Hanc Strabo insulæ metropolim uocat, super ipso Euripo sitam. Huius & Eretriæ crebram mentionem Homerus facit.

Euripus) Pomponius lib. 2. Euripon uocant rapidum mare, & alterno cursu septies die ac septies nocte, fluctibus inuicem uersis, adeò immodicè fluens, ut uentos etiam, ac plenis uelis nauigia frustretur: cuius naturam cùm Aristoteles inuestigare non posset, se in profundum eius præcipitans, demersus est: inquiens, Aristoteles non cepit Euripum, Euripus capiet Aristotelem. Valla in dialogo de libero arbitrio.

Thessalonica) Stephanus θεσσαλονίκη πόλις μακεδονίας, ἥτις ἄρα ἐκαλεῖτο ἁλία. i. Thessalonice Macedoniæ urbs est, quæ Halia aliquando uocabatur. Hanc Pomponius esse scribit ante Axium amnem lympidißimum. Procopius uerò ab hac non longè quoque Rechium fluere ait. Alumnum habuit Theodorum Gazam, uirum de utraque lingua benè meritum.

Attila) Hic est ille Attila Hunnorum rex, & totius penè Scythiæ dominator, qui Romanum imperium olim non mediocriter nimia sua potentia conterruit. Aurelianam ciuitatem Galliæ obsedit. Postremò in campis Catalaunicis (unde & hodie Catalauniæ. i. Chalon nomen est) ab Aetio uictus, qui tum unicum imperij columen erat. Posteà recuperatis uiribus post Aetij mortem, cunctam populatur Europam, & occidentis imperium tributarium constituit: cuius irruptionis hîc Procopius meminit, & li. 3. de bello Vandalico.

Celtæ qui nunc Galli) De Danubij ortu inter scriptores antiquos nõ

Satis conuenit. Nam alij non longè ab Adriatico & iisdem iugis Rhenum & Danubium oriri, alij è Celtis fluere existimabant. quibus Diodorus Siculus astipulatur, ἴστρ⊙ γὰρ (inquit) ποταμὸς, ἀρξάμεν⊙ ἐκ κελτῶν καὶ πυρρήνης πόλε⊙ ῥέει, μέσον σχίζων τὴν εὐρώπην. i. Danubius enim fluuius initium sumens è Celtis & Pyrrhene ciuitate fluit, mediam secans Europam. quem hic secutus Procopius. neque mirum, nam in aperto est, Danubium in Germania de iugo illo molli & clementer edito montis Abnobæ ortum habere. Et Celtarum appellatione, more ueterum authorum Procopius Germanos intelligit. Nam & Suidas inquit, οἱ γέρμανοι κελτοὶ λέγονται, οἱ ἀμφὶ τὸν ῥῆνον ποταμὸν ὄντες. i. Germani Celtæ uocantur, qui circum Rhenum habitant. De Celticæ terræ latitudine & magnitudine, quæ ab extremo mari, & septentrionalibus climatibus Ponticam Scythiam attingebat, uide Plutar. in uita Marij.

Daciæ) Daci mõtibus inhærent, inquit Florus, quotiescunque concretus gelu Danubius, iunxerat ripas, discurrere solebant, & uicina populari. Visum est Cæsari Augusto, gentem aditu difficillimam submouere, misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem reppulit ripam. Longo post tempore Traianus Imp. quoque traiecto Danubio, & uicto Decebalo rege, Daciã trans Danubium prouinciam fecit. Hæc Valachia iam appellatur, Pannonijs uicina, & partim subdita.

Traianus) De hoc Danubij ponte Dion Caßius in uita Traiani sic inquit: per ea tempora Traianus lapideum pontem in Istro fecit, opus sanè mirandum, & maximè memorabile, cui cætera illius opera uix adæquare poßis. Viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo cẽtum & quinquaginta pedum, præter fundamenta habetur. Latitudo sexaginta pedes continet: distant inter se centum & 70. pedibus: fornicibus uerò coniunguntur. Cæterùm contraria ratione Adrianus motus, structuras & fornices quantæ super aquam eminebant, demoliri iußit, teste Dione, quod Procopius ui inundantis fluminis hic factum scribit.

Iam ad Thraciã) Ad Thraciæ ædificia describenda Procopius aggreditur, post descriptas Illyricorum iuxta Danubium munitiones. Nam Thracia à Pontici lateris fronte (teste Pomponio) usque in Illyricos penitùs immißa, quà latera agit, Istro pelagóque contingitur. De qua Stephanus, ἔστι δὲ ἡ θρᾴκη χώρα, ἡ πέρκη ἐκαλεῖτο καὶ ἀρία. i. Thracia regio est, quæ Perce & Aria uocabatur. Hanc Euripides, Martis domicilium appellat: unde Iustinianus in constitutione περὶ τοῦ πραίτωρ⊙ θρᾴκης

θράκης sic inquit, ἐκεῖνο τῶν ἀνωμολογημένων ἐστὶν, ὅτι ὥσπερ ἔι τις τὴν θρακῶν ὀνομάσειε χώραν, εὐθὺς συνεισέρχεται τῷ λόγῳ καὶ τὶς ἀνδρεία, καὶ στρατιωτικοῦ πλήθους, καὶ πολέμων καὶ μάχης ἔννοια. ταῦτα γὰρ ἐγγενῆ τε καὶ πάτρια τῇ χώρᾳ συνέστηκεν ἐκείνῃ .i. Illud in confesso est, quòd si quis Thracum regionem nominet, statim unà cum dicto uirilitas quædam animum, & militarium copiarum, bellorum ac pugnæ cogitatio subeat. sunt enim ista ingenita, & quasi patrio quodam iure huic regioni attributa.

Mysi quos poëtæ ἐγχειμάχους uocant) Ego ἀγχεμάχους puto esse legendum, quod & D. meum animaduertisse ex doctißima sua uersione satis liquet. Homerus lib. Ilia. v. in principio,

Μυσῶν τ᾽ ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν, id est,
Illustres Mysos, quis lac mulgetur equarum
Cominùs hi pugnant.

Eodem epitheto Plutarchus in uita Thesei Abantas πολεμικοὺς καὶ ἀγχεμάχους appellat. Ptolomæus quatuor Mysias facit, in Europa duas, superiorem & inferiorem, de quibus hic Procopius. In Asia uerò maiorem & minorem: maior uerò ex quo ab Aeolijs incoli cœpit, Aeolis est dicta, & quà Hellespontum attingit (teste Pomponio) Troianis poßidentibus Troas fuit. Vnde quia à Mysis uetustam ducebant originem, idem illis poëta epitheton tribuit, lib. Ilia. v.

Τρῶες καὶ Λύκιοι, καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταὶ, id est,
Et Troës simul & Lycij tum Dardana proles
Cominùs hi pugnant.

Daphnen) Stephanus multa suburbia hoc nomine appellata testatur: ego illud significare Procopium existimo, quod non longè à Ponti faucibus fuit in Thracia. Alia fuit in Syria, Antiochiæ urbis suburbanũ. De qua loquitur titulus in codice de cupreßis ex luco Daphnes uel Perseidos per Aegyptum non excidendis, uel uendendis. Hunc enim Daphnensem lucum loci amœnitate delectatum, & aquarum abundantia, Pompeium addito nemore consecrasse Sex. Rufus est author.

Regium) Hunc locum non longè à Constantinopoli fuisse hic Procopius innuit: nam & Agathias lib. 5. inquit, urbis arcem Regium uocatam fuisse. Fuit & in Sicilia promontorium Italiæ proximum, Rhegium uocatum. ideo (teste Iustino) quòd Græcè, abrupta hoc nomine pronunciantur.

Athyras) Stephanus, Ἀθύρας ἐπίνειον, καὶ ποταμὸς περὶ τὸ Βυζάντιον .i. Athyras nauale & amnis est iuxta Byzantium. De quo Agathias lib. 5 sic inquit, Athyras exiguo progrediens spacio, in austrum uentum sensim declinans, in Propontidem fluxum eructat, ad cuius ripam in ipso exitu promontorium habet porrectius, cuius appellationem & flumen id retulit. Vrbis uerò neque Stephanus, neque alius, quod sciam, quisquam præter Procopium meminit.

Silentiarius) Quis dicatur Silentiarius, lib. 2. de bello Persico Procopius scribit, Romani (inquit) ministrum ad ea quæ sunt, quietis silentiarium uocant. Hos in L. omnimodo C. de inofficioso testamento, spectabiles: & in L. iubemus C. de Silentiarijs lib. 12. clarißimos Iustinianus uocat. Proinde in summo dignitatis culmine constitisse non est dubium. Nam & Suidas inquit de Anastasio, Ἀναστάσιος σιλεντιάριος ὁ μετὰ ταῦτα βασιλεύων .i. Anastasius silentiarius, postea Imperator designatus. Verum patriciatus dignitas hanc superabat. nam silentiarius huius dignitatis merito non æque patria eximebatur potestate: atque is qui ad supremum patriciatus honorem euectus erat, ut constat ex dicta L. Iubemus & §. Filiusfa. Insti. quibus modis ius pa. po. sol. Quare parem omnino consulari dignitati fuisse apparet.

Anastasius) De hoc Anastasii opere Suidas sic inquit: Anastasius Imperator murum illum longum, miliaribus ab urbe septem condidit. A mari quà ad Arctum spectat usque ad meridiem, longitudo miliarium quinquaginta: Latitudo pedes uiginti continens. & in Iuliani portu aggerem posuit ad æstus impetum frangendum, hæc ille. quæ nos in hunc modum latinè reddidimus: neque me fugit ad sinum Meleum μακρὸν τεῖχος quoque fuisse, de quo infrà Procopius.

Heraclea) Stephanus, Ἡράκλεια πόλις Θράκης ἐν τῷ πόντῳ διάσημος .i. Heraclea urbs Thraciæ in Ponto illustris. Procopius lib. 3. de bello Vandalico. Igitur, inquit, claßis omnis prætoriam secuta Perinthum appliuit, quæ nunc Heraclea uocatur. Idem & Ptolomæus πέρινθος ἤτοι ἡράκλεια.

Rhædestus) A Ptol. Βισάνθη ἤτοι ῥαιδεστὸν uocatur, Step. Βισάνθη πόλις μακεδονίας πρὸς Θράκην .i. Bisanthe urbs Macedoniæ iuxta Thraciam.

Cherronesum) Chersonesus aut Cherronesus paßim apud authores legitur, quarum quatuor insignes memorantur, Taurica scilicet in Euxino·

ximo, Aurea super Gangem, Cymbrica septentrionalis, quæ Daniam habet: & hæc Thracia, quam hic Procop. describit, & Agathias lib. 5.

Eleunta)Steph. Ἐλαιοῦς πόλις ἐν Ἑλλησπόντῳ. *i. Eleus urbs Hellesponti. Hæc teste Pomp. Hellespontum finit.*

Hoc loco)In Isthmo Thracio (teste Agathia) murus porrectior est ædificatus, in utrunque mare productus. De quo hoc loco Procop. nam teste Plinio, à Propontide ad sinum Meleum (hic & à Ptolomæo nigrũ uocatum) inter duo maria procurrentem excludebat Cherronesum. quare μακρὸν τεῖχος *Ptolomæus & Pomponius uocant. Herodotus à Milciade extructum literis prodidit.*

Aphrodisias)Huius nominis plurimas urbes Steph. recenset, inter quas tamen Thraciæ non meminit, sed Ptolomæus. Hanc urbem in interiore Isthmi parte constitutam, Agathias lib. 5. est author.

Callipolim)Steph. Καλλίπολις πόλις χώρον λαμψάκου, ἐν τῇ πετραίᾳ τοῦ χερρονήσου, ἐπὶ ἀκτῆς κειμένη. *Hæc à Strabone uidentur mutuata, uerbis parum immutatis. Nam ille lib. 13. sic inquit. In peninsula oppidum est Callipolis, quod in littore iacet ad Asiam exposito, non procul à Lampsaco: Agathias lib. 5. castellum uocat.*

Sestos & Abydus)Strab. lib. 13, Abydus & Sestos ad stadia triginta inter se distant. est enim Abydo obiacens Sestos, Leandri amore pernobilis, teste Pomponio, cui & Procopius hic suffragatur, & Agathias lib. 5. Hæ urbes ab Homero in catalogo tali celebrantur carmine.

καὶ σηστὸν καὶ ἄβυδον ἔχον καὶ δῖαν ἀρίσβην. *id est,*
Claram Seston habent, & Abydum & dian Arisban.

Aeneas)Steph. Αἴνεια, τόπος θράκης, ἀπὸ αἰνείου. θέων αἰνειάδας ταύτην καλεῖ, ὑπομνηματίζων τὸν λυκόφρονα. Αἰνείας δὲ μετὰ τὴν ἰλίου πόρθησιν εἰς θράκην παραγένετο καὶ ἔκτισε πόλιν αἰνειάδας, ὅπου τὸν πατέρα ἔθαψε. *i. Aenea locus est Thraciæ, ab Aenea nomen habens. Theon Lycophronis commentator, Aeneadas hanc uocat, Aeneas enim post direptum Ilium, in Thraciam profectus, Aeneadas urbem condidit, in qua & patrem sepeliuit. A Strabone Aeneus uocatur, quemadmodũ hic Procopius: Apud Pomponium Aenos uocatur, quam & ab Aenea profugo conditam refert.*

Rhodope)Rhodope Thraciæ mons est authore Strabone, post Hæmon sublimis, à Strymonis filia nomen habens.

Toperus) Ptolom. τόπειρον *uocat, & apud Nicopolim locat, quæ*

iuxta Nesum est.

Thracia quæ nunc Hæmi mons dicitur) Thracia in sex prouincias fuit distributa, ut patet ex libello de prouincijs Romanis. Sex. Rufus quoque sex habet, sed nomine diuersas. Inter has tamen ab utroque ea refertur, quæ Hæmi mons appellatur, & præsidem habuit, ut patet ex 34. constitutione Græca.

Philippopolis) Ptolom. φιλιππούπολις ἡ καὶ τριμόντιον ἡ καὶ ἀδριανούπολις. Hanc Ptolom. ut apparet, eandem cum Hadrianopoli & Trimontio ponit. Rufus uerò Philippopolim quæ apud Rhodopen erat, antè Olympiada uocatam dicit. Fuit & in Macedonia huius nominis urbs, à Philippo Amynti filio condita.

Hadrianopolis) Hadrianopolis prius Vschodonia est appellata, teste Rufo. Hanc cum Olympiade in ditionem Romanam Marcus Lucullus redegit.

Plutinopolis) Ptol. πλωτινόπολιν uocat, & apud Traianopolim collocat.

Finis annotationum in quartum librum.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER quintus, Interprete Francisco Craneueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



A quæ in Europa vniuersa sunt ab Imperatore Iustiniano ædificacata, in priore libro, quantum nostra tulit facultas, explicata sunt. Nunc nobis ad Asiæ reliqua pergẽdum est. Quas autem vrbium & castellorum munitiones ac ædificia fecerit in orientali plaga, à montibus Medorum vsque ad Palmyram Phœniciæ vrbem iuxta Libanum sitam, iã satis anteà mihi declarata esse arbitror. Nunc aũt quæ in reliqua Asia Aphricáque ab eo sint ædificata, aut circa vias publicas infestas ac periculis plenas emendata, quum alicubi montes prærupti imminerent, alicubi verò fluminum vicinitate transeuntes absorberentur: ac quibus modis vrbium necessitatibus subuenerit, sum declaraturus, hinc sumpto exordio. Locus quidem apud vrbem Ephesum situs est, absque collibus vllis, & qui nullos fructus possit reddere, etiam si quis colendo experiatur, sed durus & prorsus asper est. Ibi templum superio-

perioribus annis accolæ Ioanni apostolo dedicarunt, qui cognomentũ sortitus est Theologi. quandoquidem præclariùs meliúsque de deo sit locutus quàm humanæ naturæ ferat ratio. Hoc templum Iustinianus Imperator quum esset exile, ac vetustate laboraret, ad solum vsque diruit, ac in tãtam magnitudinem splendorémque restituit, vt si velim summatim dicere, simillimũ sit ac prorsus certet cũ eo tẽplo, quod in vrbe Regia omnibus apostolis dedicauit, vt est in prioribus libris à me narratũ. Hæc quidem fecit Ephesi. In Tenedo autem insula salutare quiddam vrbi regiæ operisque maritimis exhibuit, quod quũ paucis fuero præfatus, statim declarabo. Mare in Hellesponto angustiis conclusum fertur. Nam ambæ continentes mutuò inter sese propinquantes, efficiunt sinus initium iuxta Seston & Abydum. Cúmque naues eò venerint, quæ Constantinopolim rectà sunt petituræ, si quo impetu Tenedum rapiantur, non possint illinc quoquo modo abduci, nisi austro flante. Quum igitur classis ex vrbe Alexandria rem frumentariam afferens, eò peruenerit, siquidem contingat illis ventus propicius, breui tempore cum nauibus appellunt Byzantii littoribus, exonerántque merces, & aliis rursus onerãtur. Atque eo pacto priusquàm sæuiat hyems, bis aut ter nauigant, & si voluerint etiam alias afferre merces, his oneratis reuertuntur. Quòd si ipsis ex aduer-

aduerso in Hellesponto ventus flauerit, illinc & frumentum, & naues computrescunt. Quas res animo volutans Iustinianus, in Tenedo insula, quæ sinui ꝓxima est horreum extruxit, vbi tota classis possit exonerari. quod quum ab Imperatore perfectum esset, si quando publici frumenti questores eò venientes, ventis aduersis impediebantur, onus in horreo deponebant, ac valedicentes aquiloni & zephyro, & si quis alius ventus aduersetur, ad alteram sese nauigationẽ expediunt. Et ipsi quidem rectà ad proprium munus reuertuntur, ac posteà quum idoneus flat ventus, aliis nauibus Byzãtium frumentum vehunt ii quibus ea res commissa est. Est autem in Bithinia vrbs q̃ æ Helenes nomen sortita est, à matre Constantini Imperatoris. Ex hac enim vrbe Helenam ortã esse aiũt. Ea sũpiori tempore vicus erat ignobilis, cui educationis mercedẽ reddens Constãtinus, nomine ac dignitate vrbis, eum locũ donauit: nihil tñ regalé, nihil magnificum ibi factum est. Sed quod ad apparatum pertinet, in priore mansit fortuna. Ornabatur aũt hoc solũ noĩe, ꝙ vrbis vocabulo appellaretur, ac alumna Helena gloriaretur Hic autem noster Imperator veluti ab ingratitudine vindicans eum, à quo sibi relictum esset imperium, primùm quidem aquarum inopia videns oppressam vrbem, aquæductum admirabilem, qui supra expectationem aquas exhibet, non modò ad bi

bendum, verumetiam ad lauandum sufficientem, & ad res cæteras quas hominum delicatorum requirunt deliciæ. Deinde & balneum in publico ædificauit, quod anteà ibi non fuisset: aliúdque refecit vetustate corruptum, quod videlicet aqua diu caruisset, vt prædixi, & quòd neglectum fuisset, factúq; ruinosum. Sed & templa & ædes regias porticusq; et hospitia magistratibus illic ędificauit. Fluit autem proximè ad vrbem flumen, quod Draconē vocant accolæ. Est enim specie draconi simile, voluitur enim huc atque illuc, & in contrarium reducit gurgites obliquo fluxu, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram abiēs. vt videlicet ipsum transmittere volentibus, necesse sit vigesies vltrò citróque redire, multiq; in eo pereunt, flumine repentè pro sua consuetudine inundante. Deinde fluminis ambiguitas ac ad vtranq; ripā plurima excrescens arundo, impediunt, ne ad mare pateat exitus: aut vt sit difficilis admodùm in illis locis. Non multò priùs quum multi imbres decidissent, stagnantes ac vorticosi terram plurimis locis excauans hic fluuius ingentia mala dedit, perturbationibúsque maximis incolas affecit. quos miseratus Imperator Iustinianus, hæc adhibuit remedia. Lucos sustulit, arundinémque excîdit vniuersam, vt libera essent ad mare ostia, montésque in medio abscindens, qui eam regionem obtinent viam fecit, quâ currus duci possent,

pontés

pontésque duos mirum in modum latos eidem flu mini imposuit, atque ab eo tempore citra periculũ ab omnibus passim transmittitur. Quæ verò bona præstiterit Nicææ in Bithinia, dignum est relatu. Primò quidem aquæductum prorsus corruptum re nouauit vniuersum, fecitque vt vrbs illa aquis abun daret. Deinde templa ac monasteria, hæc quidem mulieribus, illa viris ædificauit, ac ædes ibi regias a liqua parte collapsas omni studio refecit. Etiam bal neum in hospitio veredariorum, vt appellantur, fie ri curauit, iam olim labefactatum. Ad huius autem vrbis partem occidentalem torrens quidem solet ir ruere, tametsi pons quidam ibi factus esset, qui acce dentem torrentis fluxũ non ferens loco motus est, & cogente fluminis impetu, vnà abiit. Cęsar autem Iustinianus alium ibi pontem fixit, tanta latitudine atque longitudine, vt prior ille ne pars quidem mi nima huius fuisse videretur, vt quum ingenti mur mure torrens inundaret, tutos seruet eos qui illac i ter faciunt. Magnus autem fluuius, quem nunc San garim appellant, vehementi quidem fluxu descen dens, in cuius medio est abyssus, latitudine ferè qua mare, hac parte fertur, quem nunquam homines põ te iungere potuerunt. Plurimas autem nauiculas pi scatorias alterum alteri adligantes, ac cophinorum in morem mutuò aptantes, ibi pedibus audent tran sire fretum. Quemadmodùm fecit aliquando me-

tu Xerxis Medorum exercitus. Sed hoc illis non fit citra periculũ. Nam sæpenumerò cum ipsis vinculis rapiens nauiculas vniuersas, transitum prohibet illac pergentibus. Cęsar autem Iustinianus pontem ibi ædificare adortus, iam nunc opus inchoauit, magnáque diligentia instat: nec dubito, quin breui sit absoluturus, sumpta ex eo coniectura, quod omnia cum ipso deus optimus maximus opera suscipiat. Quare ad hoc vsque tempus nulli eius cogitatio desideriúmque remansit imperfectum, quanquàm plurimis ab initio talia quædam suscepisse videretur. Est autem quædam in Bythinia via illinc ad Phrygiam pergẽtibus, vbi multi homines ac iumẽta hyberno tempore perierunt. Nam quum mirũ in modum mollis sit terra, non modò hymbribus repentinis decidentibus, aut niuibus effusis, ita mollescit, verumetiam quum psecades, hoc est, pluuiæ exiles rori similes, exiguis scilicet guttis minutatim cadunt, in profundum cœnum vertitur, viásque lutulentas efficit, ac illac transeuntes remoratur, ac suffocat. Sed ipse Cæsar magna animi prouidentia regináque Theodora, hoc viatorum periculum sustulerunt. Nam ad spacium quantum expeditus dimidiato die potest conficere, ingentibus saxis viã publicam sternentes, effecerunt vt firmum iter esset, ac securum viatoribus. Hæc ibi sunt à Iustiniano confecta. Fontes autem aquarum naturâ calidarum in

Bythinia

Bythinia ſcaturiunt in loco quem Pythia vocant: quos ad refrigerium habent, & alii multi, & præſer tim Byzantii, ibi profectò magnificentiam ædidit planè regalem. Nam ædes regias ibi conſtruxit, quę ibi priori tempore non fuiſſent, & balneum publicum aquarum calidarum ibi naſcentium fecit: fonteſque potabilis aquæ, omnium cupiditati ſatisfacturos in eundem locum ſulcis aquariis perduxit, vt priorem aridita tem, quæ eam regionem infeſtabat, ac ſqualorem ablegaret. Sed & templũ Archãheli, ac ægrotantium diuerſorium maiora fecit, & illuſtriora. Eſt autem fluuius in Galatia, quem incolæ vocant Tiberim, qui ſæpenumerò ſubitario auctu mirum in modum exundãs, multos eorum qui illac iter facere conſueuerunt, ſuſtulit. Quæ quum Imperatori eſſent renunciata, conturbatus eſt, ac in futurum prohibuit, ne quid ſimile contingeret. Nã fluuium ponte valido conſtrauit, aliũmque murum ad orientalem pontis partem fecit ſpecie, προβόλου, ita enim appellant eius rei periti architecti, id quod ad impetum aquæ infringendum fluctui obiicitur. Et templum ipſis ædificauit, quod ad partem occidentalem euntibus ſaluti eſſet futurũ. Heliopoleos autem mœnia turbauit, ac labefactauit flumen ad occidentalem vrbis partem præterfluens. Sed & hoc incommodum Iuſtinianus ſuſtulit propugnaculo conſtituto ante murum ad quingentos fermè

pedes.In Cappadocia autem fecit, quæ iam ſum di ćturus. Cæſarea enim vrbs maxima ſimul & popu loſa eſt,quam murus cingebat ob immenſitatem fa cilè oppugnabilis,incuſtoditus,inſidiantibúſque facilè peruius. Colles enim illic imminent excelſi, quos vrbis conditor quum intra mœnia complecti vellet,nec munitiones aduerſus vrbem præberent, ſub nomine ſecuritatis rem periculoſiſsimam patrauit.Nam campos multos & hortos mœnibus incluſit,& colles & pecoris paſcua.Nec ciues iuxta murorum rationem excubias agere poterant in littore. Nec ipſa quidem mœnia quæ nimis longa eſſent tueri.Cúmque viderétur abſque murorum eſſe ambitu,continua formidine tenebantur. Sed Imperator Iuſtinianus detraxit mœnibus quod ſuperuacuum erat,vrbémque munitione ſecura atque inexpugnabili muniit,Hoc pacto prouidit Cæſarienſibus Erat in Cappadocia caſtellum Muciſſus nomine,ſitum in plano,ſed putridum ac fatiſcens,quo diruto Iuſtinianus Imperator murum ędificauit ingentem verſus occidentalem caſtelli diruti regionem,in loco accliui & arduo,quem vi adoriri nemo poſſet.Ibidem & templa multa,ac xenodochia,& balneas in publico extruxit,quæq; alia fortunatam vrbem deſignant. A quo tempore venit ad metropoleos dignitatem.In Cappadocia igitur iſta contigerunt.
Ex vrbe autem Antiochia, quæ nunc Theopo lis

lis cognominatur, in Ciciliam abeunti callis erat ar ctatus mirum in modum à montibus hinc atque in de constitutis. Imbribus autem longo tempore defluentibus, excauatus plurimis locis erat, ac periculosus transeuntibus. Quod Iustinianus Imperator omni prouidentia salubri cõperto remedio discussit. Nam pecunia innumerabili in eam rem profusa, montes illic cohærentes omnes curauit excindi, vincens quę vinci non posse videbantur, ac quod nemo anteà credidisset, ex præerupto loco curribus etiam aptam viam manifestò parauit, ostendẽs hominem prudenti consilio, animóq; pecuniã contemnente, quiduis posse efficere. Vrbs aũt est in Cilicia Hemopsonestia veteris illius vatis, vt aiũt, opus. Iuxta hanc pręterlabitur fluuius Pyramus, qui solo ponte transmitti potest. At labente tempore diuturno, laborare partes pontis vetustate cœperunt. Casuróque breui similis videbatur, superiorum hominum negligentiâ. At noster Imperator quæ confracta erant, omnia magno studio sarciuit, transeũtium saluti consuluit, vrbémque rursus decoram fecit, sublato aquarum periculo. Est ab hac paululum distans, vrbs quædam Adana, ad eius orientalem regionem fluuius fertur Sarus, descendens ex Armeniæ montibus. Est autem Sarus ille nauigabilis, peditiq; minimè peruius. Pons igitur iam olim ingẽs ac celebris ibi fabricatus erat. Cuius vtpote cumflu

ctibus

ctibus pugnátis à tempore longiſsimo magna pars erat labefactata, vt non multum abeſſe videretur, quin ruiturus in aquam totus eſſet. Sed Imperator Iuſtinianus altero quodam alueo flumini effoſſo, il lac tranſire flumen ad tempus aliquod coëgit. Et aqua liberato loco, aggreſſus eſt pótis refectionem: cuius partes labefactatas quum diruiſſet, nulla cunctatione reædificauit, fluuiúmque in priorem alueum reduxit, quem κοῖτην appellant. Cydnus autem fluuius per mediam vrbem Tarſum fertur, qui reliquo tempore nihil vnquam ingrati patraſſe viſus eſt. Sed ſemel omnino contigit, vt ingentibus malis accolas afficeret. Idq́ ex cauſa eiuſmodi. Erat circiter ſolſtitiũ æſtiuũ, & auſter ventus repẽtino flatu niues omnes diſſoluit, quibus hyberno tẽpore mõs Taurus totus fermè tegitur. Riuuli igitur aquarum vndique confluebant è ſcopulis, & lacunæ omnes torrentes emiſerunt, quæ fontibus plurimis, qui vel in montibus vel circa radices Tauri conſtituti ſunt onerabantur. His igitur aquis Cydnus vndoſus pleniórque factus, quandoquidem & vicina quæque loca in hunc ſuas aquas exonerabãt. Denique quum eodem tempore multæ caderent pluuiæ, Tarſenſium omnia ſuburbia, quæ ad meridiem ſunt obuerſa, inundans labefactauit. Ac ad vrbem murmure ingenti perueniens, & pontes abſtulit, qui breues erant, foráque omnia obtinuit, viáſque publicas occupauit,

cupauit, ac ad ſupiores ędium partes multis locis exundabat, vt noctem atque diem integrum vniuerſa ciuitas in magno fuerit periculo, ac fluctuatione cõſtituta. Ac vix tandem fluuius demiſſo aquarum faſtigio ad conſuetum reuerſus eſt alueum. Quæ quũ Cæſar Iuſtinianus audiſſet, cõmentus eſt, qđ narrabimus. Primùm quidem, alterum ante vrbem fluuio parauit alueum, vt ibi ſciſſus ac vtrinque fluxũ diuidens, atque ita dimidiatus Tarſum peteret: deinde põtes ipſos latiores fecit ac potentiores, quàm vt à Cydno damnum vllum paterentur. Atque eo modo perfecit, vt extra metum atque periculũ vniuerſa ciuitas poſsit habitari. Igitur hęc in Cilicia Iuſtinianus effecit. Hieroſolymis autem templum virgini deiparæ dedicauit, cui nullum aliud ſimile eſſe poſsit, Nouam eccleſiam vocant incolæ. quod quale ſit, paulò latiùs explicabo, hoc tantum præfatus, quòd vrbs ea collibus plena ſit maxima ex parte. Nec ſunt ii colles ex terra molli, ſed ſalebroſi ac pręrupti, deſcensúmque ſcalarum in morem è ſublimioribus locis ad planiora protendunt. Igitur reliqua omnia eius vrbis ædificia vel in collibus ædificata ſunt, vel in plano terráque aperta. Hoc autem duntaxat templum neutro ſitum in loco eſt. Conſtituit enim illud Iuſtinianus Imperator, fieri in ſũmo collis vertice. declarans quantam ipſius oporteret eſſe longitudinem ac latitudinem. At non

ſufficiebat ad ordinationem Cæſaris, ac operis vtili tatem collis illic ſeu tumulus, ſed tẽpli quarta pars relinquebatur infecta, ad auſtralem partem, atque orientem ſolem, vbi ſacerdotibus phas eſt ſacris operari. ideóque hanc rem excogitarunt. Fundamenta quibus opus niteretur, in imam terram detraxerunt, ædificiúmque fecerunt iuxta collem. Poſteaquàm verò ad iuſtã altitudinem collis peruenerũt, muris ex parte ſuperiore faſtigia imponebant, iungebántque hoc ædificiũ reliquo ſolo templi. hoc igitur tẽplũ alicubi in petra valida cõſtitutũ eſt, alicubi verò ſuſpenſũ eſt ac ſublatũ Cæſaris ingenti potẽtia, quæ aliã etiã magnitudinem faſtigio cõmẽta eſt. Huius ędificii lapides hi quidẽ ſunt ingẽtis magnitudinis, hi verò ſunt cõſuetæ craſsitudinis. Nã aduerſus loci naturam architecti operis repugnãtes, altitudinémque æqualem colli labore magno paraturi, conſueta omnia contemnebant. Ad res opinionem hominum excedentes, ac ignota ſtudia diuertebant. Lapides igitur ingentes è mõtibus exciſos, quos quidẽ habet regio vrbi circumiecta, dolatóſque affabrè, illuc vehendos hoc pacto curarunt. Plauſtra fabricarunt, lapidibus illis magnitudine reſpondentia, vnicum verò lapidem cuique plauſtro imponebãt: Boues autem ab Imperatore ex optimis ſelecti quadraginta, cum plauſtro lapidem protraxerunt. At quum viæ in vrbem ducentes, hæc tantæ magnitu

dinis

dinis plaustra ferre non possent, maxima ex parte incisis mõtibus, effecerũt eos plaustris peruios. Atq; ita ingens erexerunt templum, eáq; latitudine qua Cæsar iusserat atque decreuerat, sed tectum illi imponere non valebant. Syluas igitur omnes ac saltus pererrabant, & sicubi locum audirent excelsis con situm arboribus, tandem syluam quandam inuenerunt, vtraque ex parte cedros proferentem, in admi randam altitudinem consurgentes. Ex quibus fasti gium templo imposuerunt ad exactam mensuræ rationem. Hæc igitur viribus humanis atque artificio Cæsar Iustinianus perfecit: adiumento fuit spes religionis, quæ illum hoc honore insigniuit, simúlque cum eo studium hoc suscipiebat. Ipsum verò templum omni ex parte columnis alligauit, quæ pulchritudine à reliquo templo minimè dissiderẽt: quarum tanta erat magnitudo, vt perferre possent onus impositum. Regio autem in terræ meditullio sita est, quæ longè abest à mari, ac montibus quibus dam præruptis cingitur, vt prædixi: quæ res efficit, ne possint architecti columnas aliunde eò ducere. At quum Cæsar tristaretur ob hanc rei difficultatem lapidis naturam deus oportunè commonstrauit huic rei congruam, idq; in proximis montibus, quæ eatenus fuerat occultata. Vtriusque rei, sanè fidelis est sermo, causam in deum referũt. Nos enim humanis viribus omnia ponderantes, multa impos

ſibilia factu arbitramur: Deo verò nihil omniũ eſt vel dubium, vel quod efficere non poſsit. Columnarum igitur illinc magna copia parata, quæ magnitudine eſſent eximia, & igneam quandam flammam colore imitarentur, templum illud ſuſtinet, hæ quidem parte inferiore, illæ verò parte ſuperiore, iſtæ verò circa porticus, quæ templum ambiunt vniuerſum, præterquàm partem orienti obuerſam. Quarum duæ conſtitutæ ſunt ante valuas templi, miræ magnitudinis, ac nullis aliis in orbe columnis cedẽtes. Deinde porticus quædam ſuccedit à ferula cognominata, ob eam, vt arbitror, cauſam, ne fiat latior: Aula deinde ſimilibus colũnis, à quatuor lateribus fulta. Oſtia verò aulæ tam eximia, vt ſatis indicẽt exeũtibꝰ q̃le ſpectaculũ ſint viſuri veſtibula illic admiranda, quæ ſuſtinent arcus duabus columnis eleuatos in ingentem ſublimitatem. Si quis porrò procedat, duo hemicyclia obuerſis inter ſe frontibus vtrinque in via quæ ad templum fert, conſiſtunt. Ac xenodochia ſeu hoſpitalia itidem ex vtrâque parte duo, quorum alterum indigenis paratum eſt, alterum exteris ægrotantibus, ac mendicis. Hoc igitur virginis deiparæ templũ Iuſtinianus rex, multarum pecuniarum annuo reditu locupletauit. Eſt autem vrbs Paleſtinæ, nomine Neapolis, cui mons excelſus imminet, Garizim eum vocant. quẽ montem ab initio Samaritæ poſsidebant: & quum

essent precaturi, ad montis fastigium ascendebant, nullũ tempus prætermittentes. Non quòd illic templum vnquàm ędificauerint, sed cacumen ipsum omnium potissimùm venerabantur. Quum autem Iesus dei filius assumpto corpore cum hominibus illis versaretur, habuit cum muliere eius regionis colloquium, illiq; hoc de monte interrogãti respõdit, quod futuro pòst tempore Samaritæ non essent adoraturi in monte hoc, sed hoc loco veri adoratores ipsum adorarent: significans his verbis Christianos. Factum est autem procedente tempore quod ille prædixerat. Non enim fieri potuit, vt qui verè deus esset, mentiretur. idq; hoc modo factum est. Zenone imperante, Samaritæ collecta multitudine insilierunt in vrbem Neapolim, Christianis in templo Pentecosten festum, ita vocatum, celebrantibus, impetu subitario. Eorũq; plurimos obtrũcarũt, & qui tunc illis erat episcopus Therebinthius, eũ ceperunt in sacra mensa stantem, sacrisq; mysteriis operantem, ac gladiis pupugerunt, aliósque cõcide runt, & manuum digitos amputarũt, sacrísq; mysteriis contumelias intulerunt, quales à Samaritanis expectare decebat: nos autem silentio tegere. Pontifex ille breui posteà Byzantium veniens, Cæsari qui tum erat, in conspectum prodiit, ac quid passus esset ostendit, quæq; euenissent declarauit, Christiq; prædictionem in memoriam reuocauit, ac regem

rogauit,vt omnium horum vindicem se præberet. Zenon autem Imperator hisce rebus quæ contigerant,conturbatus,in eos qui scelera illa perpetrauerant,dignam vltionem suppliciáque exercuit, atque ex monte Garizim Samaritanos sine mora expulit, ac confestim Christianis habitandum dedit. Ecclesiam ibi in ædito construens, deiparæ virgini dedicauit. Templum quidem illud hac potissimùm ratione inductus,separatim muniit,atque etiam militum custodiam ibi collocauit. Quibus rebus dolentes Samaritæ, maximè quidem indignabantur,sed metu regio consternati, silétio rem presserunt. Procedente tempore Anastasio imperii dignitatem obtinente,tale quiddam contigit. Quidá ex Samaritanis mulieris pollicitatione persuasi, ascenderunt ex inopinato per montis prerupta,ac ad templum venientes occîdunt præsidiarios, conuocántque ceteros,qui erant in vrbe,Samaritas ingenti clamore. Illi verò militum manum formidantes, sese negocio,miscere noluerunt,quod alii táto cum periculo suscepissent. At non multò pòst qui regionem illam moderabatur, is erat Procopius ex Edessa vrbe,vir sanè præstantissimus, eos qui tam atrox facinus designassent, comprehensos interemit. Ipsius autem munitionis nullam tamé rationé habebat Imperator. Sed nunc Iustinianus Cæsar quum Samaritanos maxima ex parte Christianos

esse

effecerit, veterem in monte Garazim templi munitionem reliquit separatã, vt prædixi: alia verò munitione foris obiecta effecit, vt ꝓrsus esset inexpugnabilis. Illic aũt tẽpla Christianorũ quinq; renouauit à Samaritanis exusta. Hęc igit̃ ibi facta sunt. At in vetere Arabia, quę nũc dicit̃ tertia Palestina, regio quædã deserta in longũ protenditur, fructuum & aquarum, omniúmque rerum bonarum expers, & mons præruptus, ac mirum in modũ syluestris, suspensus visitur proximè apud rubrũ (vt vocãt) mare, nomine Sina. Non est autem nunc mihi necessarium de his locis hîc rursus scribere. Quandoquidem omnia quæ ad rubrum mare & Arabicum pontum, Aethiopésque Auzomitas, & Homeritarum Saracenorum genus attinent, exactè mihi sunt narrata in libris quibus bella descripsi. Et hoc etiam est à me narratum, quo pacto Iustinianus Imperator, Phœniconem addiderit Romano imperio. Hæc igitur ea de causa dicere supersedeo, ne notam subeam imperitiæ. In hoc igitur Sina monte monachi habitant, quibus vita est, exacta quædam mortis meditatio. Solitudine quæ his ipsis charissima est, sine metu fruuntur. His igitur monachis Imperator Iustinianus quum nihil haberet, quod illi desiderarent, sed superiores se pręstarẽt humanis omnibus affectibus, nec possidere quicquam, nec curare corpora, nec id quidem student, vt alteri cui-

quam prosint, templum ædificauit, quod deiparæ inscripsit, vt illis liceret precantibus eo loco, ac sacrificantibus vitam degere. Hoc autem templum non ædificauit in montis vertice, sed loco multo inferiore. Nam hominibus impossibile est in summo montis culmine pernoctare, quia fragores sonitusque continui, & cætera quæque terribiliora ibi noctu exaudiuntur, vires constantiámque humanam quátacunque sit, hebitantia. Aiunt illic Moysen olim acceptis à deo legibus, eas ad radicem montis detulisse. Et castellum munitissimum hîc noster Imperator ædificauit, custodiámque militarem præcipuam ibi collocauit. Ne Saraceni Barbari cùm deserta sit circà regio, vti prædixi, in Palestinæ loca possint irruere. Talia igitur illic facta sunt. Quæ verò in monasteriis opera fecerit, quæ sunt eo loco, aliísque per orientem, iamiam summatim sum scripturus, videlicet diui Thalelæi, diui Gregorii, & sancti Panteleemonis in deserto Iordanis. Xenodochium in Hiericho, templum virginis deiparæ in Hiericho, & Iberorum Hierosolymis, Lazorum in deserto Hierosolymorum: Diuæ Mariæ, in monte Olíueti: Fōtis diui Helizæi Hierosolymis. Siletheon, Abbatis Romani in Bethlehem, murum renouauit. Abbatis Ioannis in Bethlehem. Puteos autē & cisternas ædificauit hoc modo: In diui Samuelis puteum ac murum In abbatis Zachariæ, puteum. In

Susannæ

Susannæ puteum. In Aphelii, puteum. In diui Ioannis in Iordane, puteum. In diui Sergii in monte, qui dicitur Cissæronis, puteum. Murum, Tiberiadis. In Bosra, receptaculum mendicorum. In Phœnicia, ędem deiparæ: in Porphyreone, monasterium diui Phocæ: in monte, ædem diui Sergii Ptolomaide. In Damasco, ædem diui Leõtii. Apud Apameam, medicorum diuersorium diui Romani renouauit. Murum diui Maronis, apud Theopolim seu Antiochiam templum Daphnes renouauit. In Laodicea diuum Ioannem renouauit. In Mesopotamia, monasterium itidem diui Ioannis renouauit. Monasterium Telephrachis, Zebyni, Theodotæ, Ioannis, Sarmathes, Cyrini, Begadæi. Monasterium autem Apodyas in Isauria, vrbis Curici balneum, receptaculúmque pauperum innouauit. Mendicorũ receptaculum diui Cononis: aquæductum suum in Cypro renouauit, Aedem diuorum Cosmæ & Damiani. In Pamphilia diuersorium mendicorum diui Michaëlis, In Emporio quod dicitur Epinii vrbis Perges in Pamphilia sitæ.

Finis libri quinti.

ANNOTATIONES THEODORICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in quintum librum Procopii de ædificijs Iustiniani Cæsaris.



Phesum) Steph. Ἔφεσος πόλις ἰωνίας ἐπιφανεστάτη, ἡρόδοτος δὲ λυδίας αὐτὴν φησίν. i. Ephesus urbs est Ioniæ clarißima, quã Herod. Lydiæ esse scribit. Hæc quõdam minoris Asiæ metropolis erat, ciuitas superstitiosè dedita cultui dæmonum, & præcipuè Dianæ, à quibus erroribus ut Paulus eam abduceret, triennium ibi egit, & postea bestijs obiectus fuit, quemadmodùm ipse testatur in secunda ad Corinthios epistola.

Iohanni apostolo) Ἰωάννης (inquit Sophronius) ὃν Ἰησοῦς πάνυ ἠγάπησεν, υἱὸς Ζεβεδαίου, ἀδελφὸς ἰακώβου τοῦ ὑπὸ ἡρώδου μετὰ τὸ πάθος τοῦ κυρίου ἀποκεφαλισθέντος, ἔσχατος πάντων ἔγραψεν εὐαγγέλιον. i. Ioannes quem Iesus multùm dilexit, filius Zebedæi fuit, & frater Iacobi, ab Herode post Christi paßionem decollati, postremus omnium euangelium scripsit: Idq; Suidas factum fuiße scribit, cùm ab exilio è Patmo rediisset, annũiã agens centesimum, qui eundem quoq; & Euangelistam & Theologum uocat, cuius rationem hic Proco. reddit.

Tenedus) Steph. τένεδος, νῆσος τῶν σποράδων, ὡς Ἑκαταῖος. i. Tenedus insula est Sporadum, teste Hecatæo, de qua Homerus Ilia. α. sic inquit, τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις σμινθεῦ, id est, Sminthey præclare Tenedi dominator Apollo.

In hac de Tene conficta fabula narratur, à quo & insula nominata est, cuius & Cicero actione in Verrem 3. meminit.

Bithynia) Hæc authore Strabone lib. 12. ab oriente Paphlagoniam, à septentrione mare Ponticum, ab austro Mysiam & Phrygiam habet. Steph. ἀπὸ βιθυνοῦ τοῦ διὸς, καὶ θράκης ἢ τιτανίδος nuncupatam scribit.

Helenes) Ab Eusebio in ecclesiastica historia Helenopolis uocatur, nam hoc cognomine (inquit) Constantinus uicum Drepani in Helene matris suæ honorem uocari uoluit. Steph. uerò inter Bithyniæ urbes non Helenopolim, sed Hellenopolim ponit.

Nicea)

Nicææ)Nicæa urbs Bithyniæ metropolis, iuxta lacum Ascanium, Antigonea prius appellata, ab Antigono Philippi filio, postremò à Lysimacho de nomine uxoris filij Antipatri Nicæa uocata. Hic *concilium primum publicè celebratum fuit, ubi explosus* Arrius.

Sangarim)Plutarchus quidam in libello de fluminibus hunc fluuium Sagarim uocat, alij Sagarium, uel potiùs Sangarium uocatum autumant Strabonem ex Homeri *authoritate secuti* Ilia. ϖ.

ὑιὸς δὲ δύμαντος

ὃς φρυγίην ναίεσκε ῥοῆς ἔπι σαγγαρίοιο,

Natúsque Dymantis

Sangarium Phrygiæ campos habitantis ad amnem.

Galatiæ)Galatia uel Gallogræcia regio est, à Gallis qui eam incoluerunt, nomen habens. Nam *Gallica iuuentus tantæ fœcunditatis fuit aliquando, ut Asiam omnem uelut examine quodam impleret, & Gallici nominis tantus terror orbem inuaserat, ut etiam reges non lacessiti ultrò pacem ingenti pecunia mercarentur. Hi à Bythiniæ rege in belli societatem uocati regnum cum eo, parta uictoria, diuiserunt, eámque regionem* Gallogræciam *cognominarunt.* Quæ *fuerit causa emigrationis Gallorum ad sedes nouas quærendas, uide Iusti. lib.* 24. *Ad hos* Pauli *quoque extat epistola, qui eos acerbè castigat, quòd Christũ semel amplexi, protinùs in Iudaismum relaberentur.*

*Cappadocia)*Hanc *à* Cappadoce *eius regionis fluuio uocatam multi asserunt, cùm* Leucosyria *priùs diceretur: & à* Romanis *in prouinciæ formam redacta proconsulem habuit, ut constitutio græca de proconsule* Cappadociæ *declarat.*

*Cæsarea)*Steph. καισάρεια μητρόπολις τῆς καππαδοκίας, ἡ πρὶν εὐσέβεια καὶ μάζα, ὡς στράβων. i. *Cæsarea* Cappadociæ *metropolis est, priùs* Eusebia *&* Maza *(referente* Strabone*) uocata.* Et *Cæsarea uocari meruit à* Tiberio, Archelao *pulso, ut* Eusebius *scribit.* *Hæc nobis edidit eximium illum antistitem* Basilium, *re uera magnum,* Theologum, *numeris finibusq; omnibus absolutissimum.*

*Cilicia)*Strabo *Ciliciam in campestrem &* Tracheam. *i. asperam ubi in montana uergit,* Pamphyliæ *propinquæ diuisit, lib.* 14. *Hæc olim* Po Ro. *opulentissima prouincia fuit, &* Cicerone *proconsule memorabilis, qui tamen hanc rexit, non sine magno urbis repetendæ desiderio.*

Hæmopsonestia)Omnibus exemplaribus græcis accuratè collatis, hæc

lectio approbatur: ego tamen literarum traductione textum uitiatum esse existimo, & Stephani authoritate legendum esse, ἢ Μόψου ἑστία, quasi Mopsi uesta. Nam ille sic inquit: Μόψου ἑστία Κιλικίας, ἐπὶ τῷ Πυράμῳ ποταμῷ ἀπὸ Μόψου τοῦ μάντεως, id est, Mopsiuesta Ciliciæ urbs est, ad Pyramum fluuium, à Mopso uate sic nominata: cuius originis & hîc Procopius meminit. Hæc initio à sui conditoris nomine Mopsus, inde ob nobile templum Vestæ ab Hadriano ibidem extructum, Mopsi Vesta est appellata. Proinde & idem Procopius lib. de bello Persico 2. Mopsum Vestæ ciuitatem appellat. Hic est ille Mopsus uates, quem Calchas augur apud Clarum offendit, & obiectum ænigma cùm dissoluisset, præ nimio mœrore miseram oppetijt mortem, uide Strabonem libro 14. pleniùs.

Pyramus) Stephanus, Πύραμος ποταμὸς τῆς Κιλικίας, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Λευκόσυρος, id est, Pyramus fluuius est Ciliciæ, Leucosyrus priùs uocatus. De Pyramo huiusmodi olim oraculum æditum fertur, teste Strabone:

Tempus erit rapidis olim cùm Pyramus undis
In sacram ueniet congesto littore Cyprum.

Idq; propter limum quem Pyramus montes egressus, in mare deducit, partim ex Cataonia, partim ex Ciliciæ campis.

Adana) De Adanæ & Sari origine Stephanus sic inquit: Ἄδανα Κιλίκων πόλις. ταύτην ᾤκισεν Ἄδανος καὶ Σάρος, Ταρσεῦσι πολεμήσαντες καὶ ἡττηθέντες, ἀφ' ὧν ἡ πόλις ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος, Ἄδανα. τὸν δὲ ποταμὸν Κοίρανον καλούμενον, Σάρον καλέσαντες, id est, Adana Ciliciæ urbs est, quam Adanus & Sarus incoluerunt, cum Tarsensibus bellum gerentes, & uicti urbem à ducis nomine Adana, & flumen Cœranũ priùs uocatũ, Sarũ appellarunt.

Cydnus) Cydnus Ciliciæ fluuius est, mediã dirimens Tarsũ, quẽ Solinus à cãdore Syrorũ lingua nomen sortitum existimat. De quo Tibul. li. 1.

At te Cydne canam tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per uada serpis aquis.

Tarsum) Tarsus clarißima urbs fuit, & celeberrimo gymnasio maximè quondam insignis. Strabo Arguorum Io quærentium, opus esse existimat, alij Sardanapalum eius authorem crediderunt. Hæc alumnum habuit uas illud electionis & gentium doctorem Paulum, nostræ religionis unicum columen.

Hiero-

Hierosolymis) Haec illa sancta est ciuitas dei, unde nostrae salutis fluxit exordiũ, quam et seruator noster Matthaei 5. ciuitatem magni regis uocat, de qua Stephanus: ἱεροσόλυμα, ἡ μητρόπολις τῆς ἰουδαίας, ἣ σόλυμα ἐκαλεῖτο, ἀπὸ τῶν σολυμων ὀρῶν, id est, Hierosolyma Iudaeae metropolis est, priùs Solyma, à Solymus montibus uocata. Alij sic uocatam asserunt, à Solymis Lyciae populis, huc olim cõmigrantibus. Varijs nominibus à diuersis authoribus haec urbs appellata fuit, sed Hierosolyma & Hierusalem ex sacri nominis additione frequentiùs. Postremò Aelius Adrianus Imperator Caluarium montem urbi addidit, & quae per Titum & Vespasianum diruta fuerant, reparauit, urbémq; suo nomine Aeliam appellauit. Quare Ptolomaeus inquit: ἱεροσόλυμα, ἡ νῦν καλουμένη αἰλία καπιτωλία.

Garizim) Hic mons benedictionis uocatus est. Nam Moyses Deut. capite 27. praecepit populo dicens: hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Iordane transmisso. A quibusdam mons Christi uocatur, quòd seruator noster hunc saepiùs ascenderit, populum sequentem uerbo diuino imbuens, Matthaei 5. quae uerò hic à Procopio narrantur, apud Ioannem cap. 4. latiùs descripta sunt.

In uetere Arabia) Ptolo. triplicem Arabiam fecit: felicem, desertam, et petream: inter quas Petreã eam nominat, quae supra Palestinam ad Casium motem, & mare rubrum excurrit, à Strabone lib. 16. Nabathea, & hic à Procopio tertia Palestina uocata est.

Mons Sina) Hic est mons ille multis nominibus inclytus, maximè tamen summae ueritatis decalogo, mortalibus exhibito, perferente Moyse, nobilis: Exodi 32. & 33. Hũc à prophanis scriptoribus multi Casium uocatum existimant: iuxta quem Casii Iouis delubrum erat Romanorum ambitione illustre effectum.

Saracenorum) Gens Saracenorum numerosa, & bello potentißima, ex Arabia felice est oriunda, quae cum reliqua Arabia ad usque Heraclij Imp. tẽpora Persarũ regibus seruiuit. Sed Maomethe duce, caput extulerunt, qui humili loco natus, sed ingenij uafri, ut qui sibi ex ementitis quibusdam prodigijs diuinitatem quandã assereret: inde rerum successu prosperior elatus, Syriam uastat, & Damascum regionis caput expugnat. Hinc malum illud foedißimum orbi prodijt. hinc labes illa iam ad hoc aeui, non Asiã solùm et Aphricam, sed magnam Europae partem infecit, ut iam de christiana pietate tuenda in discrimen uentum

 sit.

ſit. Qua in re Chriſtianorum tum principum culpanda eſt ſocordia, qui nec naſcentem flammam eo tempore comprimere uoluerunt, nec magis poſteà rerum ſucceßibus auctam potuerunt. Saracenorum multa genera fuerunt, alij Maddeni, & Homeritæ, alij Auzomitæ ab Auzomide urbe uocati ſunt, de quibus uide latiùs Procopium lib. 1. de bello Perſico.

Finis annotationum in quintum librum.

PROCOPII RHETORIS DE IVSTINIANI PRINCIPIS AEDIFICIIS LIBER sextus, Interprete Francisco Craneueldio, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.



AEC autem quæ anteà sumus persequuti, Imperator Iustinianus illis in locis effecit. In Alexādria verò quæ subsequuntur. Nilus fluuius non defertur ad ipsam vsque Alexandriam, sed ad oppidulum defluens, quod Chergi cognomen habet, ad sinistram deinceps flectitur, relinquens post se confinia Alexandrinorum. Ideóque maiores ne planè exors esset vrbs Alexandria, fossam ex Cheræo ꝓfundam fodientes, breues fluminis effluxus deriuationémque fecerūt, quę possent ad vrbem illā peruenire, quò & aliæ quædā deriuationes ex lacu Mariæ se conferunt. Hæc autem fossa maiores naues non recipit. In scaphis autem frumentum Aegyptium è terra adducentes, in vrbem deferunt, quantum perferre potest fluminis alueus per fossam delabentis, reponúntque in loco quem Alexandrini Phialen appellant. At quum plebs sæpenumerò ad seditionem concitaretur, accidit subinde vt frumen

tum

tum deperiret. Imperator Iustinianus muro locum illum cinxit, insidiásque quæ frumento parabantur, auertit. Quum nos in Aegyptum deduxerit Lybiæ quæ affinis est sermo, agè nunc quæ sunt ab illo ibidem facta, recenseamus. Quandoquidem & Lybiam vniuersam Imperator iste Barbaris obnoxiam repperit, adiunxítque reliquo Romanorum Imperio. Nilus fluuius ex Indorum montibus, qui sunt supra Aegyptum, profluens in duas partes ibi terram vsque ad mare partitur. Ipsa verò fluctibus diuisa nominibus etiam duobus est discreta. Nam quæ ad dexteram fluminis partem est, Asia nominatur, vsq; ad Phasim Colchorum, qui Asiam disterminat, terrámq; Europæ: vel vsq; ad sinus Cimmerios ac flumẽ Tanaim. Horum enim causa inter se conflictantur qui his rebus cognoscendis operam dant. At quæ est à sinistra Nili parte, Lybia appellatur vsque ad oceanum, qui est ad solem occidentem. Vtranque inquam continentem finit, ac disterminat, ac effluxionem quandam emittit, ac mare quoddam efficit. Sunt quidem alia vniuersæ Lybiæ nomina, pro varietate regionum, quæ, vt par est, sortitę sunt cognomina, ex his quæ ibi contigerunt. Hæc quidem à finibus Alexandrinorum vsque ad vrbem Cyrenem, quæ subest regioni Pentapoli, hoc solo nomine Lybia vel nunc cognominatur. Hęc vrbs

est

eſt,quę diei vnius itinere abeſt ab Alexandria, Taphoſiris nomine, vbi ſepultum eſſe Aegyptiorum deum Oſirim aiunt. In hac vrbe & alia multa, & magiſtratuum diuerſoria, & balneas ædificauit Iuſtinianus Imperator. In hac autem Lybia plurima ſunt loca deſerta. Sed Imperatoris pro nobis vigilantia prouidáque conſideratione factum eſt, ne quid à Mauruſiorum incurſionibus, qui proxima obtinent loca, mali patiatur. Munitiones duas atque cuſtodias in his conſtituit, quarum altera Paratonion, altera Antipyrgum fuit appellata, non longè à Pentapoli diſsitę. Abeſt autem Pentapolis ab Alexandria decē dierum itinere viro expedito ac ſtrennuo. In hac autem Pentapoli Teuchiram vrbem munitiſsimo muro communiuit. Et Bernices mœnia à fundamentis reædificauit, vbi & balneum fecit, publicum eius vſum vrbi concedens. Sed & in extremis Pentapoleos finibus, munitiones in duobus monaſteriis ædificauit, quæ quidem veluti propugnacula conſtituta ſunt aduerſus Barbaros, vicina loca incolentes: ne incurſiones eorum ſubitariæ in terram Romanorum occultè fieri poſſent. Eſt ibi quędam vrbs nomine Ptolemais, olim quidē felix ac abundans ciuibus, at procedente tempore magna aquarum inopia ad ciuium paucitatem redacta. Nam habitatores magno numero quum ſiti

diu fuissent cruciati,illinc cum suis friuolis abierũt, quò quemque ferebat animus.Sed nunc Imperator iste renouato vrbis aquæductu, priorem fortunatæ vrbis speciem illi reddidit .Pẽtapoleos autem vrbs nouissima seu extrema est,versus solem occidẽtem, Borion nomine:vbi montes sunt, qui inter se copulati,regionisq; angustia introitum obstruentes, hostibus iter intercludunt. Hanc vrbem cùm mœnibus careret , vallo munitissimo circundedit, tutúmque ab hostili incursu pręstitit .Sunt autem forte vrbes duæ vno nomine habitatæ. Aegila enim vtraque appellatur. Hæ à Borio absunt itinere dierum quatuor viro expedito , versæ quidem illæ ad austrum.Cúmque sint vetustæ , fundatorum veteres mores studiáque retinuerunt.Nam ad meam vsque ætatem veneratione plurium deorum laborabant.Illic iam olim Ammoni atque Alexandro Macedoni simulachra erant constituta, quibus etiã incolæ obsignabantur vsque ad Iustiniani imperium.Erat autem his ipsis magnus hominum numerus,qui sacrorum serui appellabantur.Nunc autem hic Imperator non modò quod ad corporis rationem attinet,subditis afferens tutelam atque securitatem :sed & animas seruare satagens , vel ibidem habitantium hominũ in omnibus suam prouidentiam declarauit. Nam cæteris in rebus eorum curã exactam suscipere non est dedignatus,ac religionis

germanę

germanę docuit rationem. Sunt enim hi Christiani vniuersim per familias facti, ac quod ipsis pernicio sum erat in paternis moribus, commutarunt. Quibus etiam templum deiparæ virginis construxit. Hæc igit ibi sic se habét. Borion autem vrbs, Maurusiis barbaris ꝓxima, à tributo soluendo immunis est ad hoc vsque tempus. Nec vlli vnquam quęstores tributorũ aut vectigaliũ eò peruenerunt à tẽpore cuius vlla posit esse memoria. Iudæi aũt iam olim in proximo habitarunt, vbi illis etiam vetus templum fuit, quod magnoperè venerãtur. Sed omnes eos ad Christi fidem Iustiniauus Imperator suscipiendam adducens, hoc ipsum templum in ecclesiæ formam commutauit. Post hos populos Syrtes sũt, quæ magnæ nominantur: qua autem forma sint, & qua de causa hoc sint nomẽ sortitæ, declarabo. Prætenditur illi terræ littus quoddam, quod diuisum in fluxione maris ac vndarum vi absumptum, abire videtur, ac intra sese recedens, retrorsum fugere, atque in sinum lunari figuræ similem longissimè recuruatur. Ac nauigatio lateris vbi hoc littus inchoatur, habet fermè stadia quadringẽta: vbi verò lunaris in medio formæ est, longissima distantia sex dierum itinere protenditur. Nam hanc continentem mare intùs premens, fretum aut sinum efficit. Quũ autem nauis vento aut tempestate coacta, intra lunarem hanc figuram sese insinuauerit, illinc regre-

di non poteſt,ſed trahi videtur, ac manifeſtò deinde ad vlteriora perpellitur. A quo arbitror eam regionem veteres ob ea quæ ibi naues patiantur, Syrtes appellaſſe. Nec obuertere naues ad littus poſſunt. Nam ſaxa ſub aquis latentia maxima ex parte in eo ſinu ſita ſunt, quæ non ſinunt eò peruenire, ſed quàm citiſsimè naues perforant. Solis autem lēbis vectores ea nauigia ſeruare poſſunt, ſi ita fors contingat, magno periculo res paulatim efferentes. Tripoleos quæ itidem iſtic eſt, finitimi ſunt Maurufii Barbari, ibi incolentes, gens Phœnica, ac truculenta, cum Romanis iam olim fœdere coniuncta. Qui omnes Imperatoris Iuſtiniani pſuaſione Chriſtiana dogmata ſponte receperunt. Hi verò Maurufii hodie Pacati appellantur, quandoquidem cum Romanis fœdera ſemper habent. Nam pacem Latini appellant, quam Græci εἰρήνην. Tripolis autem à Pentapoli abeſt viginti dierum itinere, viri inquam expediti. Illinc vrbs Leptis magna ſubſequitur, magna quondam, & ciuibus referta. Poſteriore verò tēpore deſerta eſt, quòd negligeretur. Cuius etiā mœnia à fundamentis noſter Imperator reædificauit. Et templum ſpectatiſsimum virgini deiparæ eo loco dedicauit. Et quatuor alias ædificauit ædes ſacras: itidem reædificauit eas, quę ibi ſuperioribus tēporibus fuerant, ac iam collapſæ erant, regias ædes Seueri Imperatoris qui ibi fuerat natus. Sed quum

eò

eò processerit sermo, rem quæ accidit Leptimagnæ hoc nostro tempore, minimè premã silentio. Quũ Iustinianus imperium iam suscepisset, nondum autem bellum Vandalicum absoluisset, Maurusii barbari qui Leucatæ dicuntur, vi pellere Vandalos, tunc Aphricæ dominos aggressi, desertam hominibus Leptimagnam fecerunt: in locis autem arduis quum aliquandiu cum suis ducibus versarẽtur, haud longè à Leptimagna flammam ignis subitariam in media vrbe conspexerunt. Suspicabantur autem eos esse hostes qui eò venissẽt, magnóque cursu ad eos contenderunt. Sed hominem nullũ inuenientes, ad vates rem detulerunt, qui ex eo quod acciderat, coniecturã facientes, Leptimagnam haud longo pòst tẽpore reædificandam esse prædixerunt. Non multo tempore interposito, veniens Imperatoris exercitus, & reliquam Lybiam, & Tripolim tenuit, Vandalisque ac Maurusiis superior bello est factus. Ego verò iam eò vnde hanc sermonis digressionẽ feci, redeo. In hac vrbe Imp. Iustinianus & balnea fecit, & mœnia vrbis ab vltimis fundamentis ędificauit, vicinosque illi Barbaros, q Gadabitani appellãt, quique gẽtilẽ illã ἀθείαν, vt vocãt, in p̃sens vsque tempus abũdè cõplectebant, nullũ videlicet esse deum existimabant, eos Christi fidem suscipere curauit. Sed & Sabathram vrbem muniuit, vbi etiam templum visendũ ædificauit. sunt autem vrbes duę in extimo

eius regionis Tacapa & Girgis: inter quas in medio Syrtes quæ paruę dicuntur, sitę sunt. Ibi fit quiddam singulis diebus admirabile, ídq; est huiusmodi. Mare angustiis conclusum, sinum lunari forma effecit: quod etiam reliquis Syrtibus accidere prædictum est. Ascendit autem in continentem plusquàm vnius diei itinere viri inquam expediti, atque ad occidentem rursus redit, relinquens in sicco littus illud, quemadmodùm in reliquis etiam littoribus contingit. Ipsiq; nautæ in continentem scientes mare stato tempore rediturum, interdiu quidem lõgissimè vt assolent nauibus, vehuntur: circa crepusculum autem vespertinum, veluti in terra versantes, alio vtuntur apparatu, contos quosdam longos ad eam rem paratos habentes. Quamprimùm autem fluxum retrò rediturum suspicantur, hi qui contos eos habent, abeunt exiliúntque sine mora è naui, primùm natant, deinde consistunt, ne ipsis vltra faciem aqua conscendat. Atque summis manibus contos in terram defigunt, quæ vel iam sicca est, vel breui siccabitur, quos rectos constituunt iuxta latera attracti nauigii, quod vtraque parte sublime retinent, ne conteratur, si in alterum latus inclinetur, obruatúrque fluctibus. Postridiè verò summo mane, continens in mare rursus commutata, vndarum procellarúmque fluctibus æstuat, nauésq; ab aqua sublatæ fluctuant, ac nautæ sublatis tempe

stiuè

ſtiuè contis illis rurſus nauigant. Nec eius rei vlla fit mutatio: ſed diebus ſingulis fit elementorum mutua quædam viciſsitudo. Poſt Tripolim ac Syrtes ad reliquam Libiam pergemus. Incipiendum nobis eſt à Carthagine, quæ maxima eſt inter vrbes Lybiæ, dum illud primum dixerimus, quòd cùm Genſericus ac Vandali Lybiam obtinerent, conſilium ceperunt pernicioſum & quale decebat homines Barbaros. Meliùs enim ſucceſſuras res ipſorum ſibi perſuadebant, ſi vrbes illę mœnibus carerent, ne ſi quando eas Romani occupaſſent, ex his Vandalis nocere poſſent. Vniuerſa igitur mœnia vrbium confeſtim ad ſolum vſque diruerunt. Barbari enim omnes maxima ex parte malè volunt Romanis, præcipitiq́ꝫ conſilio vtuntur, & quod ſtatuerint, confeſtim velociſsiméqꝫ exequuntur. At cùm Carthaginis duntaxat & paucarum quarundã mœnia remanſiſſent, qua formâ fuerant, tempore tamẽ ſunt corrupta. Imperator autem Iuſtinianus nullo quidem homine conſilium eius probante, ſed abhorrentibus vniuerſis, deo verò duntaxat ad hoc inducente, mandante, ac ſimul negocium ſuſcipiente, Beliſarium cum exercitu in Aphricam miſit, Gelimerémque regem & potentiam Vandalorum ſubuertit, dirutáſque in Lybia munitiones, renouauit vniuerſas. Aliáſque multas eſt cõmentus, multáſqꝫ interpolauit. Primò quidem Carthaginis labefacta

tum

tum iam murum vniuersum reædificauit, fossámq; in ambitu fodit, quæ ibi nulla prius fuerat. Dedicauit & templum virgini dei genitrici, quod est in palatio. Atque extra illud cuidam indigenarum diuæ Primæ: prætereà porticus ex vtraq; parte fori, quod forum Martini dicitur, balneúmque in publico spectatu dignum, quod ex nomine Imperatricis, Theodorianas balneas seu thermas appellauit. Aedificauit & monasteriũ intra muros iuxta mare, quod firmißima munitione cingens, castellumfecit inexpugnabile. Hæc igitur apud Carthaginem vtrumque nouam Iustinianus perfecit. At in regione quæ illi obiacet, vrbs erat absque muris nomine Baga, quæ non à Barbaris, sed fortuna quadam capta est: eam munitione fortißima circundans Iustinianus Imperator, habitatores in tuto collocauit. Illi autem hac gratia suscepta, Theodoriadem vrbem in honorem Imperatricis appellarunt. In Byzatio autẽ vrbs est Adramyttus nomine, in maris littore cõstituta, quæ magna quondam & populosa fuit, metropoleósque nomen & dignitatem obtinuit. Huic vrbi murum maximũ Iustinianus circunduxit, præsidiúmque militum commodißimè constituit, eáque re, formidine hostium ciues liberauit. Ideóque eam Iustinianam hodie appellant. Hanc salutis mercedem Imperatori exhibentes, soláque nominis interpositione gratum animum significantes. Quando

quidem

quidem nihil aliud, quo Cęsaris beneficentiam recompensare possent, nec ipsi habeant, nec Imperator desideret. Erat & alius quidam locus in Byzatii maritimis, quem incolæ vocant Caputuada. Eò primùm appulit Imperatoria classis, quum Lybiam intraret aduersus Gelimerem ac Vandalos dimicatura: vbi admirabile quoddam donū & quod satis explicari non posit, erga Cæsarem deus optimus maximus commonstrauit. Nam quum locus ipse frequenter aqua careret, eiúsque magna penuria premeretur Romanus exercitus, terra quæ pridem ingenti siccitate laborauerat, fontem emisit eo loco, vbi vallum milites statuerunt. illi quidem fodiebant, fons autem scaturiebat, terráque priorem squalorem siccitatémque relinquēs, commutata natura, aquis potui iucundis est irrigata. Milites ibi aliquandiu commorati, postremò sese ad bellum præpararunt (vt quæ medio tempore contigerūt omittam) breui Aphricam subegerunt. Testimonio igitur perpetuo quum diuinum illud donum fuisse crederet Imperator Iustinianus, mutari continuò locū illum in vrbem voluit, muróque muniri, reliquóq; apparatu ad fortunatæ vrbis amplitudinem: desiderióque regis est satisfactum. Nam & murus est scitè affabréque ædificatus, & agri fortuna repentè est commutata, hominésque rustici stiua abiecta, vitam ciuilem sunt amplexi, non rusticū victum, sed

t urbanum

vrbanum ſequentes,cęteráque omnia facientes,quę deceant vrbis dignitatem. Hæc quidem in Byzacio fecit,loco maritimo: At in mediterraneis in extimis regionis, vbi habitant Maurusii barbari, propugnacula aduerſus eos fecit munitiſsima. Nam vrbes quæ ibi erant in extremis cuiúſque regionis ſitæ,muris munitiſsimis circunuallauit, caſtellóque ibi conſtituto,militum præſidia collocauit. Eodémque pacto Numidiæ regionem propugnaculis, ac militum cuſtodiis ad ſecuritatem muniuit: quibus de rebus particulatim iam ſum dicturus. Mons eſt in Numidia, qui Auraſion appellatur. Is ab orbe habitato ſeparatus fermè videtur. Hic aũt mons in cœlum ſublatus,præruptúſque recto altitudinis curſu iter habet trium dierum, nec adiri facilè poteſt, quum nullum habeat aditum,niſi pręruptum. Qđ ſi quis ſurſum peruenerit, in vertice regio mollem habet terram, campóſque planos, viáſque procliues,pratáque ad paſcendum pecus idonea, hortos conſitos arboribus, aromata omne genus, & fontes ſcaturientes ex illis ſcopulis, aquas lympidiſsimas, & fluuios exundantes aquarum multitudine, & quod eſt omnium minimè veriſimile,ſegetes atque arbores in hoc monte duplum magnitudinis afferunt in fructibus, quàm ſoleát in Aphrica, cæteríſque regionibus. Igitur quod ad montem Auraſion pertinet, ſic ſe habet. Vandali autem ab initio

tio ipsum tenuerunt. Quos Maurusii inde detraxerunt, atque domos ibi ædificarunt. At Maurusiis inde depulsis, Imp. Iustinianus reliquæ hunc addidit Romanæ ditioni. Prouidit autem & prospexit, ne rursus Barbari affligerent eos, qui montem peterent, vrbes quæ iuxta radices montis sunt, desertas prorsus, & absque munitionibus inueniens, muniendo. Præter hæc duo propugnacula præsidi áque militum quanta ibi essent oportuna, ibidem constitu ens, nullum Barbaris eam regionem incolentibus, spem montis recuperandi dereliquit. In vrbibus autem alterius Numidię, inexpugnabiles munitiones erexit. Est autem vrbs in insula Sardei, quę nunc Sardinia appellatur, quam Traiani præsidiũ vocant Romani. Hanc mœnibus cinxit Iustinianus, quum priùs non fuisset. In Gadibus autem iuxta columnas Herculis, à dextera aduersus Lybiæ littus, olim propugnaculum erat, nomine Septum, quod olim Romani ædificarunt. quod cùm Vandali negligerent, tempus labefactauit, ac diruit. At noster Iustinianus muro munitum, præsidio verò potentissimum effecit: vbi etiam templum spectabile virgini dei genitrici dedicauit, excitans in ea ciuilitatis prœmia: totiq; hominum generi inexpugnabile reddidit. Sed hæc prorsus talia sunt, neminiq; est ambiguum, sed omnibus mortalibus apertissimum, quòd ab ipsis orientis montibus vsq; ad

t ii solem

ſolem occidentē,quibus finibus Romanū definitur imperium,non munitionibus modò,ſed & militum prę ſidiis Iuſtinianus Imperator rempublicam roborauerit. Quotquot igitur Iuſtiniani Imperatoris ædificia potui cognoſcere,quæ vel ipſe viderim, aut ab his qui viderunt, didicerim, pro virili mea his libris ſum complexus. Credo autem me multa præteriiſſe,vel in tanta rerum turba latitantia, vel quæ penitùs ignorata manſerunt: vt cui hæc res fuerit curæ,vt omnia perſcrutari,ac ſermone numeróque complecti velit, liceat illi facere, quod præclarum eſt, & gloriam elegantis viri egregiique nanciſci.

Finis libri ſexti & vltimi Procopii Rhetoris Cæſarienſis,de ædificiis Iuſtiniani Cæſaris, Interprete Franciſco Craneueldio.

ANNOTATIONES THEODO RICI ADAMAEI SVALLEMBERGI in sextum librum Procopii de ædificijs Iustiniani Cæsaris.



Lexandria) *Ammianus lib.22. Alexandriam omnium ci uitatum in Aegypto uerticem uocat, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altißimi, & Architecti solertia Dinocratis. & infrà paulò: Inibi auræ salubriter spirantes, aër tranquillus & clemens: atque ut periculum docuit, per uarias collectum ætates, nullo pene die incolentes hanc ci uitatem solē serenum non uident. Hanc Alexāder Macedo, ab Ammone rediens condidit, & coloniā Macedonum, caput esse Aegypti iußit. Hic Musæum reges Ptolomæi constituerant, ubi Hadrianum Imp. aliquando cum Sophistis disseruisse Spartianus scribit. Iuxta hanc urbem Cleopatra excogitauit turrim illam excelsam, quæ Pharos à loco ipso cognominatur, prælucendi nauibus nocturna suggerēs ministeria, ne insidiosis accessibus littus nauigantes affligeret. Strabo lib.7. Sostrati Gnidij opus fuisse scribit, apud quem Cheronesum Alexandriæ castellum uocari quoque existimo, oppidulum hic à Procopio Cheræum uocatum.*

Ex lacu Mariæ) Strabo lib.17. Opportunitas quidem (inquit) multiplex est, nam duo maria locum undique alluunt (Alexādriam innuit) alterum à septentrione, quod Aegyptium dicitur: alterum à meridie, quod Mariæ lacus, & Mareotis appellatur. Hunc lacum Nilus multis fossis undique adaugebat, per quas plura quàm è mari importabantur. Nam Aegyptus multis fossis è Nilo deductis abundabat. quam licentiam posteà Theodosius Imp. seuerißima lege promulgata, uetuit, C. de Nili aggeribus non rumpendis,

Frumentum Aegyptium) Ex Alexandria Aegypti in omnes Græciæ oras frumentum distribui solebat, ut ex eis patet, quæ superiore libro à Proc. sunt narrata. & Herodotus, quoq; libris demandauit: unde à ueteribus publicum orbis horreum Aegyptus est uocata. Hoc ita futurum esse, olim omen illud portendebat, quo tempore Dinocrates architectus urbis situm ad chlamydis figuram metiretur. De qua re Stephanus sic inquit, ἐκέλευσε διαγράφειν ὃ σχῆμα τοὺς ἀρχιτέκτονας. οὐκ ἔχοντες δὲ

 λευκὴν

λευκὴν γῆν, ἀλφίτοις διέγραφον. ὄρνιθες δὲ καταπτάντες τὰ ἄλφιτα ἄφνως διήρπασαν. ταραχθεὶς οὖν ἀλέξανδρος, οἱ μάντεις θαῤῥεῖν ἔλεγον, πάντων γὰρ τὴν πόλιν τροφὸν γενήσεσθαι. i. Iußit Alexander architectos urbis figuram, & situm describere. hi uerò ob albæ terræ penuriam, respersa farina ambitus omnes deliniarunt, quæ cùm ab auibus aduolantibus derepentè fuißet depasta, Alexander animo perculsus, sed à uatibus metũ ponere iussus est, qui hanc urbẽ omniũ fore nutrimentũ asserebant: Meminit & Strabo lib. 17. & Arrianus in uita Alexandri. De Alexandrino frumento titulus quoq; 11 li. Codicis extat.

Nilus) Plutarchus quidam in libello περὶ ποταμῶν, inquit, νεῖλος ποταμός ἐστι τῆς αἰγύπτου κατὰ πόλιν ἀλεξάνδριαν. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον, μέλας, ἀπὸ μέλανος τοῦ ποσειδῶνος, ὕστερον δὲ αἴγυπτος ἐπεκλήθη. i. Nilus fluuius est Aegypti iuxta urbem Alexandriam, Melas prius uocatus, à Melane Posidonis filio: postea uerò Aegyptus cognominatus. Hanc Homerus Odyßeæ δ. διιπετέα. i. cœlestem appellat: ἂψ δ᾽ εἰς αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο. id est, Rursus ad Aegypti cœlestem nauigat amnem.

In Nili fontibus inuestigandis multum industriæ & laboris posuit antiquitas, qui posteà Romanorum armis magis sunt patefacti.

Asia) Magna semper fuit inter authores contentio de Asiæ, Aphricæ, & Europæ limitibus. Arrianus περίπλους, τοῦ εὐξείνου πόντου, inquit, τάναϊς λέγεται ὁρίζειν ἀπὸ τῆς ἀσίας τὴν εὐρώπην. i. Tanais fluuius dicitur, Europam ab Asia dirimere. quod approbat Dionysius in eo libello, quem de orbis situ euulgauit,

εὐρώπην δ᾽ ἀσίης τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει, id est,

Europam atque Asiam Tanais disterminat amnis.

Cæterùm Aeschylus ἐν προμηθεῖ λυομένῳ citante Arriano, Phasim Asiæ & Europæ terminũ ponit. Quare & hoc loco Procopius ambiguus est, in cuius potiùs sententiam pedibus ire uelit.

Cyrene urbs in Pentapoli est) Ammianus lib. 22. tres prouincias Aegyptus fertur habuisse temporibus priscis, Aegyptum ipsam, & Thebaidam, & Lybiam: quibus duas adiecit posteritas, ab Aegypto Augustamnicam, & Pentapolim, à Lybia sicciore disparatam. Hanc priùs Cyrenaicam, sed ob quinque urbes quæ in ea continentur, posteà Pentapolim uocatam constat, quarum hîc ferè ordine Procopius meminit: & Ammianus eodem libro, qui sic inquit: In Pentapoli Lybia, Cyrene posita est, urbs

antiqua, sed deserta, quam Spartanus condidit Battus, & Ptolemais, & Arsinoë eadem quæ Teuchira, & Dar:is, & Berenice, quas Hesperidas appellant.

Taphosiris) Steph. Procopio cõsentit, nam inquit: ταφόσιρις πόλις αἰγύπτου, ἐν ᾗ λέγεται ὄσιρις ταφῆναι. i. Taphosiris urbs est Aegypti, in qua Osiris sepultus esse dicitur: ex qua re & urbi nomen obtigisse apparet. Strabo Taposerim uocat, nisi mendosa fuerit lectio. Inter deos Aegyptij Apim connumerabant, quem & Serapim & Osirim uocant, è Græcia profectum & Isidem coniugem ob beneficium monstratæ agriculturæ: alterum tauri, alteram uaccæ specie exprimentes, solem item & lunam (ut ait Plutarchus) existimantes.

Boriou) Procopius Borion ultimam Pentapoleos urbem esse inquit, quam in hunc numerum Ammianus non retulit, nisi quæ ab illo Darnis, hic Borion uocaretur. Strabo & Pomponius Borion quoque promontorium esse scribunt, situm in acie lateris orientalis, ubi Syrtim maiorem finit.

Ammoni & Alexandro) Supra Cyrenem in meridiem Ammonia est, aliquot olim urbibus insignis, & delubro Iouis Ammonis maximè, quod ab Aegyptio Danao positum fuisse Diodorus scribit. Ipsius dei simulachrum ex smaragdis aliisq; gemmis coagmentatũ extitit, quod ab octoginta olim sacerdotibus humeris circumferebatur, eodem Diodoro authore, quos Procopius sacrorum seruos dubio procul hic uocat. Quod uerò in Alexãdri honorem hic quoque simulachra constituta fuisse Procopius dicat, causa fuit. Nam Alexander ille magnus, huc olim profectus erat, Iouem Ammonem consulturus, de euentu futurorum, & de sua origine: ut matrem Olympiada infamia liberaret, quam Philippus uelut stupri compertam, repudio (ut Iustinus inquit) dimiserat. Ille uerò per præmissos subornabat antistites, quid sibi responderi uellet. Proinde Alexandrum ingredientem templum statim antistites, ut Ammonis filium salutabant, & comitibus suis responsum datum, ut non pro rege sed pro deo Alexandrum colerent. Vnde uehementer aucta illi insolentia fuit, mirũsque animo increuit tumor.

Syrtes) Duo sunt sinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pares tamen natura (teste Salustio) hi Syrtes uocantur, nomen ab ipsa re sortiti. Nam ubi mare magnũ esse, & sæuire uentis cœpit, limum arenámque & saxa ingentia fluctus trahunt, & ob alternos motus pe

lagi

lagi affluentis & refluentis, magna est Syrtium difficultas, quam hoc loco Procopius latißimè describit.

Tripolis) Hæc Tripolis Africana à trium urbium numero est appellata. Nam authore Solino, Achæi Tripolim sua lingua de trium urbium numero signant, Oëæ, Taphræ, Leptis magnæ.

Maurusiorum) Vitruuius lib. de architectura 8. inquit, Maurusiam Græci, quam nostri Mauritaniã uocãt. Idem et Strabo lib. ultimo: Maurusii à Græcis appellantur (ait) quos indigenæ Mauros uocant, Lybicũ genus, magnum & opulentum. Quare Stephanus inquit μαυρούσιοι καὶ μαῦροι ἔθνος μέγα λυβίκης .i. Maurusii & Mauri magna Africæ natio est. De Maurusiorum origine uide latißimè eundem Procopium lib. de bello Vandalico quarto, qui hos Phœniciam incoluisse, & Gergeseos & Iesubæos uocatos scribit, & suis finibus eo tẽpore pulsos, quo Moyses Hebræos ex Aegypto in Palestinã reduceret. Hæc non mediocriter fulciũtur Salustii quoq; authoritate in Iugurthino, qui Mauros & Numidas, reliquósque, qui maritimam Africam cultiorem reddiderunt, Medos, Armenios, Persas, & Phœnices, fuisse indicat. Proinde & hoc loco Procopius Maurusiorum gentem Phœnicam appellat. Hi Vandalis diu seruientes, tandem Iustiniano imperante Romanis iterum legibus unà cum Vandalis uiuere cœperunt, ut ex prima constitutione de Heredibus & Falcidia patet.

Leptis magna) Leptis magna urbs ex Tripoli fuit, Seueri Imperatoris ortu nobilis, teste Procopio & Aelio Spartiano in uita eiusdem. Seuerus (inquit) Africa oriundus, imperium tenuit, cui ciuitas Leptis, pater Geta, maiores equites Romani, ante ciuitatem omnibus datam.

Carthagine) De Carthagine rectè Salustius inquit, satiùs esse silere, quàm pauca dicere: tanta enim eius potentia fuit, authore Polybio & Strabone, ut tota Africa altiore potiretur. uariante tandem fortuna, adeò defecit, ut ea diruta, circumiacens regio, prouincia facta fuerit. De huius origine uide Appianum in Lybicis, & Iustinum lib. 18. & latißimè Procopium in ijs libris, quos de bello Vandalico edidit.

Baga) Hanc Procopius lib. de bello Vandalico 4. Bagasim uocat, ciuitatem desertam, & ad Abigan fluuium sitam.

In Byzacio urbs est Adramyttius) Procopius Adrametum in libris de bello Vandalico uocat, quam ab hostibus recuperatam, cùm Iustinianus Imperator restaurasset, suo nomine, Iustinianam appellauit.

Caputuada

Caputuada) Procopius lib 3. de bello Vandalico, Hic Eurus perflan (inquit) eos die 2. in Africæ littus deducit, ad locum, qui Caputuada uocatur, quinque iter dierum uiro expedito, à Carthagine distans.

Numidia) Carthaginẽsibus (inquit Appian.) superiores sunt Nomadæ quos Romani Numidas appellant, & regionem Numidiam. Hoc nomen adepti sunt, quòd uagabundis populationibus saltus & montes omnes pererrarent, rei pecuariæ imprimis dediti, & inuersos nauium alueos pro tugurijs habentes.

Sardinia) Hæc à Sardo Herculis filio dicta est, de qua Pomponius, Sardinia Africum pelagus attingens, nisi quòd in occidentem quàm in orientem angustius spectat, par & quadrata undique, & nusquam non aliquanto spaciosior, quàm ubi latißima est Corsica.

Finis annotationum in librum sextum.

Errata.

Pag.	Linea	Lege
27.	27.	μέρει
52.	1	De Crasso.
54.	5.	eos.
70.	17.	προήγορ.
71.	10. & 16	tria mulia peditum.
71.	17.	equites
72.	8.	ὑπηκόοις.
62.	10	munitione
99.	12.	nam &
102.	14.	soli
113.	8.	πολίεθρον
132.	26.	Adanam.

